PRIMA DIOECESANA
SYNODUS AMALPHITANA

AB ILLUSTRISS. ET REVERENDISS. DOMINO

D. ANTONIO PUOTI

ARCHIEPISCOPO
HABITA

Diebus 27. Mensis Junii, & 29. & 30. Mensis Novembris Anni M.DCC.LXXI.

CUM APPENDICE, ET TABULA CHRONOLOGICA EPISCOPORUM, ET ARCHIEPISCOPORUM QUI IN CATHEDRA AMALPHITANA SEDERUNT.







NEAPOLI, Excudebat Johannes Riccius, M.DCC.LXXIII.

UTRIUSQUE POTESTATIS VENIA.

BEATISSIMO PATRI
CLEMENTI XIV.
PONTIFICI MAXIMO

Antonius Puoti Archiepiscopus Amalphitanus
Sempiternam felicitatem.



T si vereri merito possim, Beatissime Pater, ne nimis audacia existimetur, Tibi Jesu Christi Vicario, Supremoque Ecclesiae Moderatori, atque Hierarchae leve aliquid offerre, quum

Amalphitanae hujuſce Eccleſiae Conſtitutiones, veluti de mihi credita vinea collectas fruges exhibere, atque Ampliſſimo Nomini Tuo dicare velim: attamen quum ſingularis ille Tuus Eccleſiaſticae Diſciplinae reparandae Zelus, ac ſtudium, tum maxima in omnes comitas, ac benignitas Tua, ita audaciorem me profecto fecere, ut Tibi potiſſimum illas conſecrarem; Tibi enim vero debentur, nam ad Te tamquam ad ſupremum Eccleſiae Rectorem quidquid ab iis, qui in partem ſollicitudinis Tuae ſunt vocati, apud creditas Fidei, ac curae ipſorum Eccleſias agitur, referri oportet; quoniam, quum totius Eccleſiae adminiſtratio, ac cura extra omnem dubitationis áleam Sanctitati Tuae a Domino concredita ſit, hujus pariter puſilli gregis, cui licet immeritus, ego in hoc terrarum orbis angulo conſtitutus, Divini Numinis Providentia, iſtiuſque Romanae Cathedrae benignitate

prae-

praesideo, necessitatibus opitulari etiam Te debere consentaneum esse dignoscitur; a Te enim quisque nostrum debet dirigi, doceri, atque juvari, prout olim Cardinalis Caesar Baronius ad Clementem VIII. scribens expetebat; quippe qui Tu Magnus es totius Christianae Religionis Doctor, & Parens ac fidelis servus, & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, ac super omnes gentes, & Regna Servatoris Nostri mystici corporis visibile Caput. Dum igitur illas fidenter, ac humillime, Pater Sanctissime, ad pedes Tuos provolutus defero, animadverto quidem non hujus esse loci laudibus Tuas virtutes extollere, quibus magnus animus Tuus maximopere efflorescit, quisque enim illas facile conjicere potest, si quam maxime, ex quo ad Petri Cathedram evectus fuisti pro Tua Pastorali solicitudine ad augendam Dei gloriam, ac Religionem conser-

van-

vandam, amplificandamque communi Ecclesiae utilitati consuluisti, animo volvat; Ecclesiasticae enim Disciplinae tenacissimus vindex decorem ipsi pristinum restituere, & ad Sacrorum Canonum normam Fidelium mores componere, probum, piumque Populum reddere omni ope contendis, saeculum exornas, subditorum securitatem, ac publicam felicitatem, ita acerrime provehis, ut hinc Pastores omnes curae, ac vigilantiae Apostolicae luculentissimum habeant exemplum, omissaque proinde ceterarum virtutum, quibus proxime ad Divinitatem accedis, commemoratione; id tantummodo a Te oro, obtestorque, ne graveris tuo sub auspicatissimo Nomine levissimum hoc debitae sollicitudinis meae specimen prodire, atque ut Dioecesanam hanc meam Synodum, veluti primogenitum tenuitatis meae partum summi obsequii erga Sanctitatem Tuam testem

adscri-

adſcribam, meque ipſum pariter Sanctitati Tuae devoveam. Conſtitutioneſque, ipſas, ſi quas veritati conſonas, ac Diſciplinae Ecclesiaſticae conformes, Tuo probare oraculo, ac auctoritate firmare; ſi quas vero ab ea aberrare reprehenderis, corrigere, ac delere non dedigneris, ut ſic fructum afferre poſſint uberrimum Supremi Numinis gloriae conſecrandum. Oblatum igitur, Summe Dei Sacerdos, primitiarum mearum manipulum eleva, obſecro, & Apoſtolicae Benedictionis munere conſecra, ut acceptabile ſit coram Domino, & ſic in eo, meſſis reliqua benedicatur; & dum temeritati meae ignoſcas, oro, me Tibi non minus obſequio, ac ſubjectione, quam animo, & voluntate devinctiſſimum puta. Deus interea Te, Pater Sanctiſſime, diu incolumen ſervet, atque ſoſpitet, ut ad magna, quae tam brevi Pontificatus Tui ſpatio perfeciſti, majora adjicias, & prae-

clara

clara multa, quae inchoasti, quaeque semper moliris, ac meditaris ad Dei gloriam, & Ecclesiae utilitatem feliciſſime abſolvas, dum Sanctitatis Tuae pedes humillime deoſculor. Vale.

S. R. M.

SIGNORE

IL Procuratore di Monsignor Puoti Arcivescovo di Amalfi supplicando umilmente espone alla M. V., come avendo fatto alcune Costituzioni Sinodali per la buona disciplina Ecclesiastica della sua Diocesi, ed essendosi compiaciuta la M. V. di permettere la pubblicazione non meno di dette Costituzioni, che dell' Appendice fatta alle medesime, anche in stampa, desiderando perciò di farle stampare ricorre alla M. V., e vivamente la supplica compiacersi di darli il permesso per la stampa suddetta, e l'avrà a somma grazia quam Deus.

Die 15. Mensis Decembris 1773. Neapoli &c.
Regalis Camera Sanctæ Claræ Viso Regali Rescripto de die 4. currentis Mensis, & anni providet, decernit, atque mandat quod liceat Typis edere retroscriptas Synodales Constitutiones salvis semper Regiis Juribus, Regni statutis, & partium juribus. Hoc suum &c.

VARGAS MACCIUCCA. SALOMONUS.
Vidit FISCUS REG. COR.

Illustris Marchio Citus Præses S. R. C., & ceteri Aularum Præfecti tempore subscriptionis impediti.

Registrata

Carulli. *Citus.*

EMI-

EMINENTISSIMO SIGNORE

Giovanni Riccio pubblico ſtampatore ſupplicando umilmente Eſpone all' E. V. come deſidera ſtampare alcune Coſtituzioni Sinodali di Monſignor Puoti Arciveſcovo di Amalfi, con un' Appendice in ſeguela di eſſe; perciò ſupplica l'E. V. a volerſi degnare commetterne la reviſione, che lo riceverà ut Deus.

Illuſtriſſimus ac Reverendiſſimus Can. D. Franciſcus Valle hujus Metropolitanæ, & Curiæ Archiep. Exam. Synodalis revideat, & in ſcriptis referat. Datum die 19. Decembris 1773.

FRANCISCUS CAN. PUOTI Prolocumt. de Mand.

Joſeph Sparanus Can. Deput.

EMINENTISSIME PRINCEPS.

Dioeceſana haec Synodus Amalphitana vigilantiſſimi Praeſulis operà abſoluta Religionem, pietatem, ſacrarumque legum cultum prodit, Populi, Clerique mores ad Evangelii normam informat; Quidquid Dioeceſi iterum, iterumque luſtratâ deprehenſum eſt devium, rude, informe, collapſum, egregie revocat, excolit, reficit, inſtaurat. Opus tanto Praeſule dignum. Typis mandari poſſe arbitror, dum tibi, Princeps Eminentiſſime, probatum fuerit. Datū Neap. VII. Idus Januarias Anno ſalutis MDCCLXXIV.

Humiliſſimus, Obſequentiſſimus
Franciſcus Canonicus Valle.

Attenta Relatione Domini Reviſoris, IMPRIMATUR.
Datum die 19. Januarii 1774.

FRANCISCUS CAN. PUOTI Prolocumt. de Mand.

Joſeph Sparanus Can. Deput.

EDICTUM
INDICTIONIS SYNODI.

ANTONIUS PUOTI
Dei, & Apostolicæ Sedis Gratia Archiepiscopus Amalphitanus.

Universis in Christo Venerabilibus Fratribus universi Cleri, & Filiis Populi totius Civitatis, & Dioecesis Amalphitanae salutem, & benedictionem in Domino sempiternam.



Uum pro Pastoralis officii munere, juxta SS. Patrum instituta, ac Sacri Concilii Tridentini praecepta, ad moderandos mores, corrigendos excessus, controversias componendas, Cleri disciplinam confirmandam, adque vineam Domini Sabaoth, & Redemtoris Nostri sanguine irrigatam, vepribus, & spinis, si quae in ea ascenderint, & succreverint, penitus mundandam

Dioecesanam Synodum jure quidem optimo quisque Episcopus quotannis celebrare teneretur; quumque, nescio quo fato, nulla alia in hac Dioecesi reperiretur Synodus convocata, quam illa usque ab anno 1637. *habita a fel. rec. Archiepiscopo Angelo Pica Antecessore Nostro meritissimo; cujus sanctissimae Leges, ob temporis diuturnitatem, fere omnes in non usum abierunt; hinc propterea factum est, ut ex quo ad hanc Metropolitanam Cathedram, divino arcano, atque inscrutabili D.O.M. providentia, licet immeriti, ac praeter omnem nostrum cogitatum evecti fuimus, illud indesinenter satagere, quantum imbecillitati nostrae licuit, ac rerum vicissitudines praestiterunt, curavimus, ut suscepti muneris, Angelicis etiam humeris formidandi, singula expleremus officia, atque ante omnia de Synodi convocatione cogitaremus; sicque praemissis quatuor hujus Nostrae Dioecesis sanctis Visitationibus, aliisque praehabitis diligentiis, ne fructus ille ex eisdem, ejus ope & auxilio, qui unus universi gregis adjutor est, & visitator, perceptus perire contingat, Dioecesanam Synodum usque a primordiis Nostri suscepti in hac Dioecesi regiminis praemeditatam, variisque justis de causis huc usque dilatam, ulterius non differre, sed ad praesens habere optime duximus, ut vineam, quam a Domino accepimus, sanctis Legibus, veluti sepimento quodam communiendo a singulari fero Diabolicae nequitiae, qui eam devastare quotidie molitur, defendamus, ne illam unquam invadat, depascatur, ac devoret. Synodum igitur Dioecesa-*

cesanam, recurrente jam Praesulatus Nostri anno XIII. habituri die 27. proxime advenientis Mensis Junii, in qua celebratur de more Festum Patrocinii Nostri semper Gloriosi S.Andreae Apostoli praecipui Patroni hujus Civitatis, & Dioecesis, invocato Divino praesidio, ac tutela Beatissimae, ac semper Virginis Deiparae Mariae in Coelum assumtae principalis Tutelaris hujus Nostrae Cathedralis Ecclesiae, ac praefati D. Andreae Apostoli, nec non SS. Caroli Borromaei, Francisci Salesii, ac Philippi Nerei Ecclesiasticae disciplinae insignium restauratorum, praesenti publice promulgato Edicto, Vobis omnibus illam indicimus, ac denunciamus, omnesque, & singulos tam superioris, quam inferioris ordinis totius hujus Dioecesis, ceterosque de Clero tam saeculares, quam regulares, qui quovis jure, vel consuetudine interesse tenentur, ad supradictam Dioecesanam Synodum, convocamus, ac monemus, & convocatos, & monitos esse, volumus, & mandamus, Capitulum praesertim hujus Cathedralis Ecclesiae, quod peramanter etiam invitamus, aliaque Capitula, & universos, & singulos, qui in hac Civitate, & Dioecesi Beneficia cujusvis generis Ecclesiastica potiuntur, eisdemque singulis virtute sanctae obedientiae, & sub poena suspensionis a divinis in sacris constitutis, & excommunicationis inferioribus Clericis ipso facto respective incurrenda, ac aliis, juxta Sacrorum Canonum decreta, pro modo culpae infligendis poenis praecipimus, quacumque praetensa exemtione non obstan-

obstante, quam non obstare jubent Sacrum Concilium Tridentinum, aliaeque Apostolicae Constitutiones, ut omnes, & singuli praedicti tam Urbani, quam Foranei parati, juxta praefinitam normam in Synodalibus praemonitionibus quas adnectimus, conveniant omnes in hac Urbe praecedenti die 26. Junii ad hoc salutare Opus absolvendum ita, ut, nisi absoluto Concilio, accepta Nostra Pastorali benedictione, & obtenta denique venia, nullus discedere audeat; neque vero pro se alios mittant, nisi, qui legitimo aliquo impedimento coram Nobis probando detenti sint. Volumus tamen, ut Archipresbyteri, Parochi, ceterique Rectores, Curati, ac Nostri Vicarii Foranei saltem per hebdomadam adventum occupent aliorum, ut opportune suggerant, omni humana affectione posthabita, quod compererint animadversione dignum, & Synodo providendum, sive decernendum, quod etiam a praesentium publicatione usque ad praefinitum terminum enixe flagitamus, nedum ab ipsis, verum, & a singulis Clericis, & cordatis Viris. Ne tamen durante supradicta Parochorum absentia detrimentum ullum Christifideles patiantur, iidem Parochi suas Ecclesias hujusmodi absentiae tempore aliis Sacerdotibus a Nobis alias adprobatis, vel tunc adprobandis, sive Saecularibus sive Regularibus, commendare curabunt. Quoniam vero Deus ipse ad agendum ea, quae recta sunt, illuminat omnem hominem, ut haec omnia ad majorem Omnipotentis Dei gloriam, Animarum salutem, Ecclesiae utilitatem, ac Divini cultus incre-

incrementum peragantur , mandamus , ut singulis diebus festis a praesentium publicatione usque ad Concilii celebrationem in hac Nostra Cathedrali Ecclesia , sicut & in ceteris Parochialibus totius Dioecesis terno Campanae signo interpellate praemisso , congruentiori hora post Vesperas recitentur Litaniae Majores una cum consuetis precibus, & qualibet quinta feria cujuscumque Hebdomadae Missa de Spiritu Sancto celebretur , cujus collecta in unoquoque Sacrificio a Sacerdotibus omnibus subnecti jubemus , praemissa publica supplicatione cum interventu totius Cleri in quolibet loco , statuta die , & hora , prout melius videbitur RR. Archipresbyteris , & Parochis Locorum ad implorandam Divinam opem , minime tamen praetermisso aliarum piarum orationum studio , quod etiam a Regularibus , & Sanctimonialibus , ceterisque de Populo exoptaremus . Qua de re illos enixe hortamur in Domino , & Parochi omnes itidem hortabuntur , ut piis effusis precibus in re tanti momenti auxilium Nobis impetrent a Patre luminum , qui mittat de sede Magnitudinis suae veram sapientiam , & Spiritum Sanctum suum super Filios suo nomine congregatos . Moneant insuper Parochi Populum , illumque ad Synodum futuram arcessent , ut vere omnes poenitentes & confessi sacra synaxi per Nos ipsos reficiantur , ac delictorum suorum veniam in plenaria forma a fel. rec. Sanctissimo Domino Nostro Papa Clemente XIII. occasione indictorum Conciliorum benigne elargitam, consequantur . Volumus autem , ut haec Synodi indictio


adfixa

adfixa Valvis hujus Cathedralis Ecclesiae, necnon Parochialium Dioecesis omnes adficiat, ac si fuisset singulis indicta. Datum Amalphiae ex Nostro Archiepiscopali Palatio hac die 20. mensis Maii 1771.

ANTONIUS ARCHIEPISCOPUS AMALPHITANUS.

Franciscus Canonicus de Stefano Cancellarius.

ORA-



ORATIO

Ab Illustrissimo, & Reverendissimo Domino

D. ANTONIO PUOTI

Archiepiscopo Amalphitano habita

AD UNIVERSUM CLERUM IN SYNODO CONGREGATUM.



Uum aeternus Pontifex Unigenitus Dei Filius Christus Jesus, qui e sinu Patris in Terram missus Fidelium Animas per effusionem immaculati Sanguinis sui redemit, eam Pastoribus Animarum curam proposuisset, ut omni solicitudine oves eorum fidei commissas a vallibus ad montes, a terrenis scilicet rebus ad coelestes, ab humanis ad Divinas, a caducis ad aeternas, revocare studerent; utque abactis ab ovili lupis, illas ad Salubria ducerent pascua, minores custodes gregis suo in officio continerent, verumque Dei cultum, Religionem-

nemque vigilantissime custodirent. Has porro Pastoralis Officii partes Nobiscum animo reputantes, cum primum ad Archiepiscopalem hanc Amalphitanam sedem, licet immerito, & divina tantum liberalitate, ac miseratione, evecti fuimus alacri animo gregis Nobis concrediti excubare custodiae coepimus, illumque, sedulo visitare; totamque non semel perlustrare Dioecesim usque adhuc non praetermisimus, ut quae in ea, sive quoad Populorum mores, sive quoad Clericorum disciplinam, reparatione, aut reformatione indigerent, pro nostris viribus restaurarentur; & quamvis ad hoc obtinendum nihil prorsus intentatum reliquimus, quod prodesse putaremus non modo ad corruptelas, excessus, & abusus extirpandos a grege; verum etiam ad illum optimo Coelestis doctrinæ, divinorumque Sacramentorum pabulo saginandum, ad Ecclesiasticam disciplinam vel instaurandam, vel fovendam, ad Dei Cultum, Ecclesiaeque nitorem vel restituendum, vel augendum, ac ad Animarum denique Nobis creditarum salutem perfecte curandam, & modo publicis, modo privatis hortationibus per Nos ipsos, quandoque etiam per alios Apostolicos Ministros, & alias, edictis quoque non destitimus Populum a criminibus absterrere, & ad veram virtutem adsequendam acuere, atque inflammare, & Vos pariter Sacerdotes optimos voce, & scripto excitare, ut, qui in partem solicitudinis Nostrae vocati estis, adjutrices Nobis porrigeretis manus ad propositam Nobis metam faciliter attigendam. Verum, et si, ex his omnibus non mediocrem promanasse fructum, favente

Deo,

Deo, a quo omne bonum eſt, ſummopere laetaremur; atmen quum ad rite valideque ſaluti Populorum proſpiciendum, ac veteri diſciplinae conſtituendae, non ſolum frequenti Animarum recognitione, ſed & Synodorum celebratione opus eſſe, a Sacris Canonibus, & praeſertim a Sacro Concilio Tridentino cautum ſit, ita ut earum alterutra intermiſſa, magna in moribus continuo ad omnem improbitatem; peccandique licentiam fieri ſoleat immutatio; hinc propterea quoniam, hanc Synodi celebrationem raram quidem, ne dicam, rariſſimam in hac noſtra Dioeceſi, neſcio quo fato, effectam fuiſſe dignovimus, ad illam convocandam, non eſſe diutius cunctandum, exiſtimavimus, praeſertim quum nullam ab anno Reparatea Salutis CIƆIƆCXXXI. ad haec uſque tempora per rerum turbas, ac viciſſitudines Praedeceſſores Noſtri Synodum celebrarint, ita ut raritatem hujuſmodi deflere potius, quam commemorari oporteret, & D. Bernardi lacrymis dicere: *quotidianas expenſas quotidiano reciprocamus Strutinio, & innumera Dominici gregis detrimenta neſcimus: de pretio eſcarum, & numero panum cum Miniſtris quotidiana diſcuſſio eſt, rara admodum cum Preſbyteris celebratur collatio de peccatis Populorum*. Nemo eſt, qui ignoret ex hujuſmodi collationis intermiſſione quam grandia mala in Eccleſiam Dei deſcendiſſe; ac quotidie deſcendere; hinc equidem Dei cultus diminutio; hinc Religionis collapſus; hinc Eccleſiaſticae diſciplinae deſtitutio; hinc morum deturpatio; hinc denique peccatorum omnium effrenata licentia. Quum primum igitur hu-

jus rei Nobis data est facultas, eam summo studio amplexi sumus eo animo, atque Consilio, ut, Deo auctore, vobis adjutoribus, obeundi muneris tarditatem, actionum gravitate, ac diligentia, compensemus. Itaque huc omnes convenimus, ut ex hac quasi specula, singulis hujus nostrae Dioecesis partibus circumspectis, Ezechielis Prophetae voce divina admoniti: *quod periit, requiramus; quod objectum, reducamus; quod confractum est, alligemus; & quod pingue, & forte est, custodiamus*. Ea igitur, Fratres carissimi, in sortem Domini vocati. Si agro, horto, & vineae Populus Nobis circompositus comparatur, expediamus sarculos, vomeres, falces, ut eum fideles agricolae excolamus; ad hoc enim positi sumus Sacerdotes Dei in Altaris servitium segregati Ministri, non ad Saecularia peragenda negotia. Ante omnia autem nostram vitam reformemus, oportet; nam ut ait D. Hieronymus: *Cleri vita, Ecclesia Dei debet ornari; propter enim peccata Sacerdotum Sanctuarium Dei destructum est*, ita ut, de corrigendis excessibus, & moribus in Clero reformandis, diligenter habendum esse cum Dei timore in Synodis tractatum, a Concilio Lataranensi III. præcipue statutum fuit, & quam sapienter! dum caussa ruinae Populi sunt Sacerdotes mali, ut bene novit Osea Propheta; neque enim non nostra maxime refert bonos Nos, justos, Sanctosque & esse, & haberi, qui si pauperes, pauperrimi, si invisi, despecti, neglectique sumus, pejusque profanis cunctis hominibus habemur, culpa id, meritoque nostro factum esse, cer-

certum eſt ; quoniam, veteri repudiata ſanctitate, & diſciplina, id adhuc egimus, ut Noſmetnoſipſos, univerſamque una hominum ſocietatem funditus everteremus: ut vere ego vobiſcum poſſim D. Gregorii verbis conqueri: *quanto Mundus gladio feriatur aſpicitis: quibus quotidie percuſſionibus intereat Populus videtis: cujus hoc niſi praecipue noſtro peccato agitur? . . . Ex noſtro etenim peccato Populi turba proſtrata eſt; quia noſtra faciente negligentia ad vitam erudita non eſt*: diffundatur aliquando caritas Dei in cordibus Populi hujus per inhabitantem ſpiritum ejus in eo. Id autem qui fieri poteſt, niſi Cleri, & Sacerdotum potiſſimum pectora coeleſtis ille ignis adurat; cujus fulgore incitata ſaecularium etiam vota ad coeleſtium deſideria pertrahantur.

Ad hoc itaque Synodalem coetum hunc Miniſtrorum Chriſti praefulgentem Coronam in hac Sacra Baſilica colligi, atque diſponi curavimus; ſatis quippe eſſe rati ad erudiendum Populum, ſalutaribus ſanctionibus Clericalem ordinem erudire. Itaque vos primum adloquimur dilectiſſimi, Dignitates, & Canonici, praeſertim hujus noſtrae Cathedralis, gaudium, & Corona noſtra, & ad veſtram memoriam revocare hortamur, quod ſi univerſo Fidelium Populo verbo, & exemplo praefulgere debent, qui divino ſeſe miniſterio mancipatunt, ut in eos, tamquam in ſpeculum; reliqui oculos conjiciant, ex iiſque ſumant, quod imitentur, id maxime per vos praeſtandum eſſe oportet, qui veluti Eccleſiae Senatus, Chriſti familiares, ac domeſtici Dei non tantum reliquo gregi,

ſed Clericali etiam ordini doctrina, & virtutibus praeire convenit, atque praecellere. Exoptaſtis equidem ſummopere, & forſan importune ad hujuſmodi Dignitatem pervenire, illamque, quam libentiſſime acceptaſtis, ne vos pigeat, quaeſo, nunc onus eidem adnexum etiam libenti, ac alacri animo perferre. Mementote vos divino ſervitio ad laudes Deo hymnis nocturnis, atque diurnis in Choro perſolvendas, tamquam almae Sionis aemulos eſſe mancipatos; non tam leve igitur a Choro abeſſe putetis, neque coacte, aut ordinariae diſtributionis lucro adducti, ſed Dei caritate, Religioniſque Cultu commoti Divinis officiis adeſſe debetis, ut vere, & ex animo Pſalmi verba concinatis: *Voluntarie ſacrificabo tibi, & confitebor nomini tuo Domine, quoniam bonum eſt*. Videte an in conſpectu Dei Omnipotentis puro corde, & caſto corpore miniſtretis, an ſingulas vos ordinis dignitati, aut Canonicatui annexas functiones attente, pie, ac religioſe expleatis, ne ſuper vos cadant maledictiones ab Omnipotenti Deo Sacerdotibus Aaronicis transgreſſoribus comminatas: *Si audire nolueritis vocem Dei veſtri ut cuſtodiatis, & faciatis ceremonias, quas Ego praecipio vobis hodie, venient ſuper vos maledictiones, & apprehendent vos*: & per Jeremiam cap. 48.: *maledictus homo, qui facit opus Dei negligenter*. Utinam Fratres mei hujuſmodi maledictiones effugere poſſitis, in multis enim delinquitis omnes; poteritis equidem per hanc Synodum, ſi quaecumque in ea praeſcribentur, adamuſſim obſervetis, prout in Domino vos exhortamur.

Ad

Ad vos deinde Parochi, ceterique Animarum curae addicti sermonem facientes, id ante omnia vobis volumus adnunciatum, vos proximos, & immediatos Animarum Pastores esse, a quorum cura, & regimine magna ex parte illarum salus dependet, ac propterea veluti oculi, ac manus Episcopi adpellamini, per quos ille necessitates Ovium suarum perspectas habet, & suae Pastoralis providentiae officia exequitur; quod si diligenter officii vestri partes impleretis, nostra etiam studia, & labores, quos pro earumdem salute impendimus, Deo adjuvante, inanes, & vacui non redibunt. Quum igitur vos in Dominici agri cultura nobis coadjutores, & in Christi grege depascendo administri sitis, satagite, precor, oratione in primis, virtutum studio, morum integritate, scientia, prudentia, vigilantia, &, quae summopere Deo placet, humilitate, & exemplo, vos tanto muneri pro viribus conformari; & super curam Animarum tota animi adplicatione invigilate, scientes vos de omnibus, & singulis districtam reddituros rationem ante divinum aeterni Judicis Tribunal; quod si quae perierit vestra incuria, Sanguis illius, immo & pretiosus Jesu Christi sanguis, quo Animae Fidelium redemtae sunt, de manu vestra requiretur. Cavete igitur, ne vos, qui Plebi vobis concreditae duces esse debetis ad vitam, ut ait D. Gregorius, mortis auctores evadentes, totam in peccato suo, quod conquerebatur Sanctus Hieronymus, peccare faciatis multitudinem, & heu quam turpe, quam detestabile est inveniri Parochos, qui Plebi sunt offendiculo,

culo, & quiſeipſos, & non gregem paſcunt! & utinam tales inter vos non eſſent; ſciant tamen, quod ipſi male habebunt in noviſſimo, quoniam ipſis tunc iratus Dominus dicet: *Si ſpeculatores in domo mea eratis, cur coeci? Si Paſtores, cur gregem vobis commiſſum errare, permiſiſtis? Si ſal Terrae, quonam modo evanuiſtis? Si lux eratis, cur ſedentibus in tenebris, & umbra mortis non illuxiſtis? Si os Domini, cur mutiſuiſtis?* Et ſic adpenſi in ſtatera, tamquam minus habentes, aeternae mortis poenam non effugient. Haec itaque ſedulo mente recogitate, vobiſque conſulite.

Vos denique adloquendum eſt, Sacerdotes omnes, & quotquot Clericali militiae nomen dediſtis: & quid dicemus? dicemus equidem quicquid non ſemel, ſed iterum, atque iterum vobis enunciavimus, nimirum vos quum in Dei militiam adſcripti ſitis, ob oculos habere debetis, non ad commoditates, aut voluptates, ſed ad labores, ac ſolicitudines, eſſe vocatos. Qua propter vobis diligentiſſime providendum eſt, ne a recta vivendi via, & ab officii veſtri ratione deflectatis, nec quidquam praeſeferendum eſt a vobis, quod non ſimplex, caſtum, ſanctumque ſit, ut virtutum omnium ceteris exempla praeſtare poſſitis, & pietatem, quam profiteri debetis, vitae integritate, & innocentia comprobetis; & quaecumque verbis alios docere nitimini, ea factis exprimatis veſtris, prout vera docendi, ac paſcendi ratio expoſtulat; & non jam, quae veſtra ſunt, ſed quae Jeſu Chriſti, quaeratis. Meſſis quidem multa, conquerebatur olim Veritas, operarii autem

tem pauci; messis utique multa, nonne nunc potius dicendum est, & Sacerdotes multi, sed operarii pauci? quod maxime dolendum nobis est; inhiant plerique, & fere omnes ad Sacros ordines, & Ecclesiae dignitates, non ut gregem Domini pascant, & sub imposito sibi onere, Divina opitulante gratia, desudent; sed ut ventri, & commodis dediti, & inanis gloriae vanitate distenti de Altari pascantur. Quis igitur gregem Domini custodiat, Fratres carissimi, quis evertat hostium insidias, si obdormiunt vigiles, qui custodire debent Civitatem? Expergiscimini tandem, & illuminamini, qui in tenebris, & umbra mortis sternentes sedetis, ut aberrantium pedes dirigatis in viam pacis. Agnoscite, quaeso, Venerabiles Fratres, dignitatem vestram, ad quam a Populo segregati divinitus evecti estis, & juxta illius excellentiam perficite, laborate, ac in omnibus vosmetipsos exhibete, sicut Dei Ministros, ne vituperetur ministerium vestrum; immo haereditatem ejus, qui vos elegit, adipiscamini, & egressi ex hoc conventu, tamquam lucernae ardentes in caliginoso loco, ceteris verbo, & exemplo praefulgere valeatis.

Haec quum ita sint, Fratres dilectissimi, illud reliquum esse, putamus, ut Sanctiones, quas in praesenti Synodo sumus pronunciaturi; quasque paterno amore dictavimus, non jam novas condendi leges cupidi, sed ut illas tantummodo quae alias a Praedecessoribus Nostris sanctissime sancitae sunt, & temporum injuria, vel hominum incuria refixe sunt; denuo novis hominum moribus accomodatas figamus, vos

stia-

filiali, quo polletis, obſequio accipiatis, ut in promptu ſit vobis omnibus quid ſequi, quid vitare aeque omnes debeatis; moxque factores verbi, ut ait Apoſtolus, & non auditores tantum, ne vos fallatis, depravatos, ſi quos agnoſcetis mores veſtros recte ad illarum normam componatis; atque ita ceteros a Deo aberrantes, eidem reconciliare poſſitis, ut exoptatus fructus ex hac Synodali actione uberrime emanari dignoſcatur; idque munere, & gratia Chriſti Domini; cui laus, & honos ſempiternis aetatum ſaeculis. Amen.



DE-

DECRETUM I.

DE SYNODI INCHOATIONE,

Deque Officialibus, & Examinatoribus, ac Judicibus Synodalibus eligendis.

In nomine ineffabilis, & individuae Trinitatis Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Deiparaeque Mariae semper Virginis in Coelum assumtae, & Gloriosissimi Sancti Andreae Apostoli hujusce Civitatis, & Dioecesis praecipui Protectoris. Amen.

NOS ANTONIUS PUOTI

Dei, & Apostolicae Sedis Gratia Archiepiscopus Amalphitanus.



AD laudem, honorem, & gloriam Omnipotentis Dei, Jesu Christi Domini nostri, Sanctissimae Deiparae Mariae, Divique Apostoli Andreae hujus Civitatis Patroni, & beneficentissimi Tutelaris; nec non Sanctorum Caroli Borromaei, Francisci Salesii, & Philippi Nerei, quos, ut egregios collabentis disciplinae restauratores, jure quidem merito colit Ecclesia: ad Ecclesiasticam Disciplinam restaurandam, moresque componendos Dioecesanam Synodum jam indictam hac die XXVII. mensis Junii, convenientibus in nostra Cathedrali Ecclesia dilectissimis in Christo venerabilibus Fratribus, & Filiis, RR. Dignitatibus,

C & Ca-

& Canonicis ejusdem Cathedralis Ecclesiae, & Collegiatarum Dioecesis, cunctis Archipresbyteris, & Parochis, ac ceteris demum superioris, & inferioris Ordinis Clericis, operis nostri Vicariis, & assumtis in partem ministerii, quod a Domino acceptum est, communi omnium gaudio huc accersitis non ut novandi cupidi, offensionum avidi, novas conscriberemus Leges; sed ut mutua veterum recordatione, & Ipsi eos commoneamus, & Nos Illi excitare possint, ut juxta monita Principis Apostolorum: *Non sicut Dominantes in Cleris, sed forma facti gregis ex animo*: ita conjuncti omnia provideamus, ac vicissim ita peragamus, ut, quum apparuerit Princeps Pastorum, immarcescibilem gloriae coronam consequi mereamur, Dioecesanam Synodum, jam indictam hac die XXVII. Junii, in praefata Cathedrali Ecclesia aperimus, & incipimus, prout apertam, & inceptam esse dicimus, & declaramus, in qua, ut animarum saluti, & quieti consulamus, Synodales Constitutiones, in hac Dioecesi a Praedecessoribus Nostris conditas cum censuris & poenis in illis adpositis revocantes, & pro revocatis, & abolitis illas habentes, praeter illas, quae hisce Nostris confirmantur, sequentes sancimus, & promulgari mandamus, & in futurum obligare, & servari per poenas arbitrio nostro infligendas, & in nonnullis Decretis specialiter indicendas, praecipimus. Consuetudines pariter rationi, & veritati non conformes abrogamus; nam, licet Consuetudinis auctoritas non sit vilis, immo aliquando laudabilior, quam Legis, quum Lex sit scripta in Tabulis, Consuetudo vero in animis nostris; attamen tanta non est, ut possit extra jam praefinitos terminos, Canonum vim tollere, atque destruere; & frustra qui ratione vincuntur (a), consuetudinem eos objicere posse volumus, dum consuetudo major esse veritate non potest; & in Spiritualibus id sequendum est, quod in me-

(a) *August. Can.* frustra *dist.* 8.

melius fuerit a Spiritu revelatum : & advertendum quoque est, quod Dominus dixit : *Ego sum veritas, & vita* : non dixit Ego sum consuetudo, sed Veritas (a) : Et certe quaelibet consuetudo, quamtumvis vulgata, veritati omnino est postponenda, & usus, qui veritati est contrarius, abolendus.

Dignetur idem Omnipotens Deus pro sua ineffabili misericordia, precibusque ejusdem Deiparae Virginis Mariae, & omnium aliorum Sanctorum gratiam Nobis concedere, ut (quemadmodum speramus) ex hoc Sacro Coetu lumen, & spiritum reportemus ad officia nostra secundum voluntatem Dei peragenda : totaque haec Synodalis actio ad maximum hujus Nobis commissi gregis juvamen dirigatur & perveniat.

Et quia in hujusmodi Synodi progressu aliquarum Personarum auxilio indigemus, quae munera quaedam obire possint, deputamus in

Promotorem Synodi

Adm.Rev.D.Nicolaum Cimino Canonicum hujus nostrae Cathed.

Secretarium Synodi

Rev. D. Joseph Scoppetta Hebdomadarium hujus nostrae Cathedralis.

Et ejusdem Coadjutores

Rev. D. Salvatorem Roccum, & Subdiaconum Michaelem Paolillum.

Magistros Caeremoniarum

Rev. D. Bartholomaeum Cimino Hebdomadarium nostrae Cathedralis,

Rev. D. Andream Panza Hebdomadarium nostrae Cathedralis, & Rev.

(a) *S. Gregor. Pap. in Can.* Si Consuetudinem.

Rev. D.PetrumMariam de Luca Hebdomadarium nostrae Cath.

Coadjutores Eorum

Rev. D.Petrum Citarella Hebdomadarium Collegiatae Ecclesiae Majorensis,

Rev. D.Michaelem Camera Hebdomadarium Collegiatae Ecclesiae Atranensis,

Rev. D. Salvatorem Roccum.

Praefectos Hospitiorum

Adm. Rev. D. Hieronymum Pansa Canonicum nostrae Cath.

Adm. Rev. D. Josephum Cimini Canonicum nostrae Cathed.

Adm. Rev. D. Vincentium Protum Canonicum Collegiatae Ecclesiae Atranensis.

Ostiarios

Rev. D. Crescentium Gambardella Rectorem Congregationis S. M. V. Septem Dolorum,

Rev. D. Blasium Cretella Hebdomadarium Supranumerarium nostrae Cath.

Rev. D. Januarium Amendola Hebdomadarium Supranumerarium nostrae Cath.

Notarios Synodi

Adm. Rev. D. Franciscum de Stephano Canonicum nostrae Cath. & nostrum ordinarium Cancellarium,

Rev. D.Gabrielem Panza Hebdomadarium Supranumerarium nostrae Cath., & nostrum Procancellarium

Procuratores Cleri

Adm. Rev. D.Andream Antonium Bozzi Primicerium nostrae Cath.

Rev. D. Paschalem Protum Hebdomadar. nostrae Cath.

Adm. Rev. D.Vincentium Protum Canonicum Collegiatae Ecclesiae Atranensis,

Adm.

Adm. Rev. D. Angelum Uva Canonicum Ecclesiae Majorensis,
Rev. D. Carolum Salsani Paroch., & Vic. Tramonti,
Rev. D. Innocentium Rispoli Par. Pugerulae.
Rev. D. Petrum de Martino Vicar. Foraneum Positani,
Rev. D. Andream Rispolo Parochum Plagiani,
Rev. D. Lucam Galani Parochum Furoris,
Rev. D. Petrum de Crescentio Citariae.

Et quoniam ex antiquo Sacrorum Canonum instituto audiri debent querelae, si quae sint, & absentium excusationes; propterea pro eisdem excipiendis infrascriptos Deputamus Judices querelarum, & excusationum; reservata tamen facultate avocandi ad Nos, etiam durante Synodo, hujusmodi caussas, vel aliis committendi.

Judices querelarum, & excusationum absentium

Per Ill. & Rm̃. U.J.D., & Protonotarium Apostolicum D. Romualdum Consiglio nostrum Vicarium Generalem,
Per Ill., & adm. Rev. D. Franciscum Mariam Pansa U. J. D. Protonotarium Apostolicum, & Archidiaconum nostrae Cath. Ecclesiae,
Per Ill., & adm. Rev. D. Cajetanum Casanova S. Th. Prof., & Cantorem nostrae Cath. Ecclesiae,
Per Ill., & adm. Rev. D. Anthimum Costa U. J. D., S. Th. Prof., & Decanum nostrae Cath. Ecclesiae,
Per Ill., & adm. Rev. D. Andream Antonium Bozzi Primicerium Nostrae Cath.
Adm. Rev. D. Philippum Montuori Canonicum nostrae Cathedr., & Rectorem nostri Seminarii,

Insuper quum Sacrum Tridentinum Concilium (a) decer-

(a) *Sess. 25. cap. 10. de Refor.*

cernat, aliquos eligi, qui habeant qualitates praescriptas a Bonifacio VIII. (a), quibus Caussae ad Forum Ecclesiasticum pertinentes, in partibus delegatae, committantur, nec non super Parochialium collatione in eodem Sacro Concilio (b), ac in Bulla (c) Pii V. cautum sit, ut in Dioecesana Synodo Viri aliquot idonei eligantur, qui de aetate, vita, moribus, ac doctrina eorum, qui Parochialium Ecclesiarum regimini praeficiendi sunt, exquirant: Nos utrique decreto, & relatis Pontificiis Constitutionibus parere, ut tenemur, volentes infrascriptos in Judices Synodales deputamus, & subsequentes Vobis proponimus in Examinatores Synodales, qui hujusmodi munera usque ad alteram Synodum, etiamsi illius convocatio ultra annnm prorogetur, gerant, praestito prius per praedictos Examinatores juramento de bene, & fideliter munus idem exercendo.

Judices Synodales

Per Ill., & Rev. D. Romualdum Consiglio U. J. D., Protonotarium Apostolicum, & nostrum Vicarium Generalem,

Per Ill., & adm. Rev. D. Franciscum Mariam Pansa U.J.D., Protonotarium Apostolicum, & Archidiaconum nostrae Cath. Ecclesiae.

Per Ill., & Rev. D.Cajetanum Casanova S. Th. P., & Cantorem nostrae Cath. Ecclesiae

Per Ill., & adm. Rev. D. Anthimum Costa U. J. D., & Decanum nostrae Cath. Ecclesiae

Per Ill., & adm. Rev. D. Nicolaum Carrano U. J. P., & Theologiae Doctorem, Thesaurarium, & Canonicum Theologum nostrae Cath. Ecclesiae

Adm. Rev. D. Nicolaum Cimino Canonicum nostrae Cath. Ecclesiae,

Adm.

(a) *In cap. Statutum de requisitis in 6.*
(b) *Seff. 24. cap. 18. de Refor.*
(c) *Bulla Pii V. super Parochialium Collat.*

Adm. Rev. D. Philippum Montuori Canonicum noſtrae Cath. Eccleſiae, & Rectorem noſtri Seminarii.
Adm. Rev. D. Bartholomaeum Canonicum Amendola
Adm. Rev. D. Angelum Criſconio U. J. D., Protonotarium Apoſtolicum, & Praepoſitum Collegiatae Eccleſiae Majoranae
Per Ill., & adm. Rev. D. Andream Cardamone U. J. D., & Protonotarium Apoſtolicum.

Examinatores Synodales ex Clero Urbano.

Per Ill., & Rev. D. Romualdum Conſiglio U. J. D., Protonotarium Apoſtolicum, & noſtrum Vicarium Generalem.
Per Ill., & adm. Rev. D. Franciſcum Mariam Panſa U. J. D.; Protonotarium Apoſtolicum, & Archidiaconum noſtrae Cath. Eccleſiae
Per Ill., & adm. Rev. D. Cajetanum Caſanova Sacrae Th. P., & Cantorem noſtrae Cath. Eccleſiae.
Per Ill., & adm. Rev. D. Anthimum Coſta U. J. D., & Decanum noſtrae Cath. Eccleſiae.
Per Ill., & adm. Rev. D. Nicolaum Carrano U. J. P., & Theologiae Doctorem, Theſaurarium, & Canonicum Theologum noſtrae Cath. Eccleſiae
Adm. Rev. D. Nicolaum Cimino Canonicum noſtrae Cathedr. Eccleſiae.
Adm. Rev. D. Philippum Muontuori Canonicum noſtrae Cath. Eccleſiae, & Rectorem noſtri Seminarii.
Adm. Rev. D. Franciſcum Camera Canonicum Honorarium noſtrae Cath. Eccleſiae, & Vicarium Curatum perpetuum ejuſdem, nec non Lectorem noſtri Seminarii.
Adm. Rev. D. Bartholomaeum Amendola Canonicum Cath. Eccleſiae.

Ex Clero Dioeceſano

Per Ill., & adm. Rev. D. Angelum Criſconio U. J. D., Protonota-

notarium Apoſtolicum, et Praepoſitum Eccleſiae Collegiatae Majoranae.

Per Ill., et adm. Rev. D. Andream Cardamone U. J. D., et Protonotarium Apoſtolicum.

Ill., et adm. Rev. D. Angelum Proto Sacrae Th. D., et Praepoſitum Eccleſiae Atranen

Adm. Rev. D. Marinum Citarella Canonicum Collegiatae Majoranae

Adm. Rev. D. Bartholomaeum Piſani Canonicum Theologum Collegiatae Atranen

Adm. Rev. D. Antonium Proto Canonicum Collegiatae Atranen

Adm. Rev. D. Franciſcum Cardamone Archipresbyterum Tramonti

Adm. Rev. D Joſephum Cardamone Parochum Tramonti

Adm. Rev. D. Carolum Salſani Parochum Tramonti, et noſtrum Vicarium Foraneum.

Adm. Rev. D. Raphaelem Manſo Parochum Tramonti

Adv. Rev. D. Cajetanum Amodio Parochum S. Pancratii Terrae Conchae

Adm. Rev. D. Andream Borrelli Parochum S. Mariae de Novellis Tramonti

Adm. Rev. D. Lucam Galani Parochum Furoris

Adm. Rev. D. Cajetanum Graecum Parochum Majoren

Adm. Rev. D. Andream Galani Primicerium Vetticae Majoris

Adm. Rev. D. Petrum Giordano Parochum S. Mariae Gratiarum Tramonti

Adm. Rev. D. Nicolaum Romito Rectorem SS. Roſarii Terrae Poſitani

Adm. Rev. D. Thomam Teleſe Parochum Tramonti

Adm. Rev. D. Aloyſium Riſpoli Parochum S. Martini Majoren

Per Ill., et adm. Rev. D. Matthaeum Criſcuolo U. J. D., Theſau-

saurarium Cath. Ecclesiae Scalen, et Vicarium Generalem Ecclesiae ejusdem.

Ex Clero Regulari

Adm. Rev. P. Magistrum Angelum Panicoli Ordinis Minorum Conventualium S. Francisci

Adm. Rev. Patrem Magistrum Aloysium Majella Ordinis Conventualium Minorum S. Francisci.

Adm. Rev. P. Gregorium Polesti Lectorem Ordinis Praedicatorum

Adm. Rev. P. Gregorium Pyrrhum Lectorem Ordinis Praedicatorum

Adm. Rev. P. Joannem Mariam a Neapoli Exprovincialem Ordinis Min. S. Francisci de Observantia

Adm. Rev. P. Cyprianum a Neapoli Definitorem Ordinis Min. Cappuccinorum S. Francisci.

Rev. P. Sebastianum de Argentio Lectorem Ordinis Cappuccinorum S. Francisci.

Rev. P. Franciscum a Magdaluno Lectorem Ordinis Cappuccinorum S. Francisci

Rev. P. Josephum Exlectorem ab Agerula Ordinis Cappuccinorum S. Francisci.

DECRETUM II.

De nulli in Synodo praejudicium inferendo.

QUum nefas profecto sit de praecedentia in Synodo controversias excitari, quis major esse videatur: *omnis enim, qui major est fiat oportet, sicut minor, & qui praecessor est, sicut Ministrator* (a); Nos tamen ea, qua par est, caritate omnes, et singulos consentaneis aptandos sedi-

D bus

(a) *S. Lucæ cap.* 22.

bus duximus; at si forte contigerit, aliquos in debito loco non sedere, incedere, vocari, vel alia hujusmodi peragere, hoc Decreto decernimus, Nulli ex hoc praejudicium irrogari, nec jus aliquod novum adquiri volumus, sed omnia et singula in eo statu permanere, in quo ante hujus Synodi celebrationem reperiebantur.

DECRETUM III.

De modo vivendi in Synodo.

QUum nihil sit, quod ceteros ad pietatem magis instruat, quam Clericorum integritas, modestia, et exemplum, in quos, tanquam in speculum, laici oculos conjiciunt, et ex eis sumunt, quod imitantur; multo magis existimamus, eosdem in hoc sacrae Synodi tempore irreprehensibiles esse, atque intemeratos, ne actionem tam insignem, quae inter Ecclesiasticas principem habet locum, quisquam perturbare, atque foedare praesumat; volumus propterea, atque omnino praecipimus, quod quisque habitu, gestu, incessu, sermone, aliisque actionibus semper, et ubique recordetur finis, ob quem haec sacra Synodus ordinatur, ad gloriam scilicet Dei, et Cleri, Populique sanctificationem. Absit ergo, ut quis a recta aberret via editarum propterea praeordinationum, nisi nostram velit indignationem experiri.

DECRETUM IV.

De non discedendo a Synodo.

QUamvis circulari Nostro Edicto Synodum indicente animadvertendum in eos jusserimus, qui non convenerint, vel qui convenerint, et Synodo non absoluta, discesserint; idem nunc praesenti Decreto innovamus.

SY-

SYNODI
Ecclesiae Amalphitanae
SESSIO PRIMA
De iis, quae ad Religionem ſpectant
CAP. I.
De Fide Catholica, ejuſque Profeſſione.

I. AD Fidelium in vitam aeternam directionem harum Synodalium Sanctionum Codicem edituri, operae pretium facturus exiſtimavimus ab inſcripta epigraphe exordiri, atque adeo a ſincera, & ſolemni verae Fidei confeſſione deſumta ex generalibus, Oecumeniciſque Conciliis ab ipſo Aerae Chriſtianae primordio celeberrimis; ex conſtanti enim Eccleſiae traditione, omniumque Conciliorum uſu receptum eſt, ut a Fidei profeſſione, quam *cenſum Animarum* adpellat Divus Ambroſius, exordium inſtituatur. Eorum ergo morem Nos, ut decet, ſervantes, antequam ad edicendas Conſtitutiones gradum faciamus, Fidem ipſam (*a*), ſine qua impoſſibile eſt placere Deo, & ad Filiorum Ejus Conſortium pervenire, expreſſe profitemur.

II. Eamdem Fidei profeſſionem emittere praecipimus ad formam diſpoſitionis Sacri Conc. Trid., & Conſtitutionis fel. record. Pii Papae IV., & juxta formulam in eadem Conſtitutione contentam, & inferius regiſtrandam, omnes de Cathedrali noſtra, quos de Dignitate, Canonicatibus, aut Beneficiis reſidentialibus provideri contigerit, tum coram Nobis, aut Noſtro Vicario Generali, tum etiam coram Canonicis capitulariter congregatis, & ſede vacante, coram

(a) *Ad Hebraeos II.*

Vicario Capitulari (a), ordine non neceffario fervato, coram quo prius, aut pofterius emittatur, neque coram Nobis, aut Vicario Noftro repetenda, quatenus Capitulo interfuerimus, dum emitteretur (b). Eidem etiam obligationi fidem coram Nobis, aut Nobis impeditis, coram Vicario noftro profitendi, fubjectos declaramus Beneficia Curata obtinentes, cum cura tamen actuali, & non habituali tantum, nec non Beneficia fimplicia. Item Concionatores, quum primum in Ecclefia noftra os aperient, publicos Lectores, et Ludi-Magiftros, ficut et ceteros fingulos in Piana Conftitutione contentos.

III. Hujufmodi vero Profeffio a fingulis fupradictis intra duos faltem menfes a die adeptae poffeffionis per feipfos erit emittenda, contumaces fiquidem Beneficiarii, feu Dignitates, et Canonici fuerint, ceterique refidentiae addicti fructus omnes fuae Praebendae poft duos menfes decurfos, fuos non faciant, et fi redditus omnes in quotidianis diftributionibus confiftant, eos utique amittant abfque alia fententia declaratoria, fed pauperibus, fabricae Ecclefiae, vel Sacriftiae reftituere teneantur. Quoad vero laicos Ludi-Magiftros moneantur hujufmodi fidei profeffionem emittere, quam fi emittere renuerint, ut a Regia Poteftate munus docendi eis interdicatur, curabimus.

IV. Et quoniam graviffimum, et deteftabile blafphemiae crimen oppofitum fidei fit, eoque nihil horribilius, ut ait Divus Hieronymus (c), dum ponit in excelfum os fuum, et ad cujus comparationem omne peccatum levius eft, quod veluti quaedam peftis magna cum Animarum jactura in agro Dominico graffatur, fummo ftudio, et vigilantia enitendum eft; ut non compefcatur modo, fed plane etiam evellatur et eradicetur. Quapropter volumus, ut Archipresbyteri omnes, et finguli Rectores Curati minime praeter-

(a) *Conc. Trid. feff.* 24. *de Reform. cap.* 12. *ver. provifi etiam.*
(b) *Sac. Cong. Can. in una fegunt. a Barb. de off. pot. Epifc. alleg.* 6. 4. 17.
(c) *In Ifai. cap.* 18.

termittant inter Missarum solemnia saepe saepius diligenter explanare hujusmodi peccati gravitatem, et sensum Pianae Constitutionis adversus horrendum blasphemiae crimen. Confessarii autem majori, qua poterunt, efficacia in Sacramentalibus Confessionibus ejusdem peccati reos, ac sceleſtiſſimos homines corripere, et redarguere, eisdemque salutares poenitentias pro modo culpae imponere non desinant.

C A P. II.

De Doctrina Christiana.

I. QUum vero fides sit humanae salutis initium, et fundamentum; ac radix omnis justificationis, saluberrime sancitum est, ad hoc ut hominum mentes, quae consuetudine tenebrarum, et nocte peccatorum, vitiorumque caligantes in lucem sincerae rationis, ac veritatis perducantur fidei ejusdem tum rudimenta, tum ulteriora praecepta per accurratam Catechesim explicanda esse, ejusque studium promovendum ope Ecclesiasticorum Ministrorum, quibus Christus commendavit gregem proprio sanguine comparatum.

II. Qua de re Sacri Trid. Conc., et Summorum Pontificum Sanctionibus inhaerendo omnibus Archipresbyteris, Parochis, Plebanis, et Vice-Plebanis, ac ceteris Rectoribus, et Curatis Pastorali nostrae Curae subjectis, nec non omnibus aliis, qui in hac nostra Dioecesi comparticipes Parochialium proventuum fiunt, stricte praecipiendo mandamus, ut omnibus diebus Dominicis, nec non aliis Festis teneantur per seipsos, vel ipsis impeditis, per aliquem Clericum pueros convocare in suis Ecclesiis, illosque Doctrinam Christianam docere, et singula mysteria fidei enucleare, quae explicite credenda sunt, quoad Doctrinam nempe Augustissimae Trinitatis, et Jesu Christi Incarnationem, et Sacramentorum, Baptismi praesertim, Poenitentiae, Eucharistiae

ristiae necessitatem, ac Divinam institutionem, gratiaeque per illa Collationem, realemque praesentiam Corporis, et Sanguinis Christi in Eucharistia, et Transubstantiationem, seu mutationem substantiae panis in substantiam Corporis, et vini in Sanguinem Christi; Sanctorum itidem cultum, et invocationem, Sanctorum Reliquiarum, et Imaginum venerationem, salutarem Indulgentiarum usum, Purgatorium existere, Animasque in eo detentas fidelium suffragiis, & praesertim Sacrosancto Altaris Sacrificio juvari, et omnia denique dogmata, quae ad vitam recte, christianeque instituendam necessaria sunt, ab omnibus, et singulis explicite credenda. Quid etiam Decalogo praecipiatur, quid vetetur Ecclesiae praeceptis, extra quam neminem salvari posse Catholica veritas docet, nec habere Deum Patrem, qui Ecclesiam nolit habere Matrem. Denique omnia quoad substantiam saltem sub periculo damnationis aeternae expresse credenda, ut communis fert Doctorum sententia.

III. Doceant insuper omnes, qui haec supradicta discere non curant, diligentiamque necessariam non adhibent, reos esse peccati lethalis, et quandiu in illa ignorantia versantur, nec illam vincere student, ad Sacramenta alia minime esse admittendos, ejusdemque reatus participes fore Parentes, ac Dominos, qui filios, servos, aut ancillas Doctrinae Christianae Catechesi adesse, illamque addiscere non curent, vel non compellant. Quos vero Parochi, Confessarii, et Concionatores repererint negligentes, Nobis referant, ut opportunis remediis ipsorum saluti, et ceterorum exemplo prospiciamus, et sic liberos, et famulos vel invitos ad Parochum Christiana dogmata docentem adducant, et ipsi adducti principalia fidei mysteria, et quae Christianos scire oportet, addiscant.

IV Quod ut facilius peragatur, habeant Curati Tabellam, in qua describant mares, et feminas tam minores, quam grandiores natu, quibus opus est Christianam Doctrinam addisce-

discere, & similiter nomina, & cognomina parentum ibidem adscribant ad hoc, ut possint eos, qui accedere recusant, acriter arguere, Nobisque referre, ut providere possimus. Adnotent pariter nomina adultorum praesertim in campestribus, vel in maritimis vitam trahentium, qui rudimenta Fidei ignorant, ut eos semel saltem in mense in privatis domibus ad se convocent, & in praecipuis Doctrinae Christianae capitibus, & essentialibus Sacramenti Poenitentiae partibus instruant, nullumque Paroeci lapidem relinquant immotum, ut Fideles sibi concrediti, quae ad salutem scitu necessaria sunt, addiscant, et ad Sacramenta admittendi, eorum dignitatem, quoad fieri poterit, concipiant, ut reverentius, frequentiusque ad ea accedant. Quumque Fideles ipsi ad futura Matrimonia contrahenda disponuntur, Parochos teneri volumus, prius sponsos examinare circa Fidei rudimenta; quod si illos experti fuerint ignaros, ad denunciationes non procedant.

V. Si denique Paroeci, aliique Ecclesiae Ministri, quibus docendi Doctrinam Christianam onus incumbit (quod nunquam evenire confidimus), illud vel neglexerint, vel quoquo modo diu intermiserint, gravioris se criminis reos fore, sciant, ac longe majori vindicta coercendos; nam Nos & poenis arbitrio infligendis eos multabimus, & ipsis contumacibus alios sumtu eorum ad puerorum doctrinam delegabimus. Sacerdotes enim, ut ait Julianus Pomerius *(a)*: Populorum iniquitate damnantur, si ignorantes non erudiant, peccantes minime arguant.

VI. Clerici etiam Paroecis in hoc munere adjuvent, fidelesque ac seduli Administri sint tum Paraeciam circumeundo, tum pueros congregando, tum docendo, & testimonio de hujusmodi Decreti adimplemento destituti frustra a Nobis ad ulteriores Ordines promoveri petent. Et ut omnes alacriores ad hunc pium laborem subeundum fiant, Catalognm Indulgen-

(a) *lib. 1. de vit. contempl. cap. 34.*

gentiarum inferius subnectendum saepius legant, fidelibusque exponant, quas Romani Pontifices lucrandas proposuerunt, tum iis, qui Doctrinam Christianam alios docent, tum iis, qui ad illam addiscendam statis diebus, & horis in Templo intersunt, aut alios in Templum ducunt, ut eadem erudiantur.

C A P. III.

De Verbi Dei Praedicatione.

I. Siquidem Praedicationis munus Nobis praecipue ex praecepto Divino demandatum esse, agnovimus; nam Episcopis, qui in Ecclesia pro Patribus Filii nati sunt, intonuit Isaias, ut clament, nec cessent, & annuncient Populo Dei scelera eorum, & Christus Dominus Apostolis, quos posuit ad regendam Ecclesiam, quam acquisivit Sanguine suo, imposuit, ut irent, & docerent omnes gentes, & quicquid illis impositum fuit, Nobis impositum fatemur. Quum vero ceteris Pastoralibus curae offendiculis praepedientibus eidem muneri, quantum par esset, incumbere, & ubique locorum praesentes esse, non sit integrum, alios saltem operarios conducere satagimus, qui ministerium nostrum ferventius, & fructuosius impleant, plebemque Nobis concreditam arguant, obsecrent, increpent opportune, importune in omni patientia, & doctrina.

II. Quadere Animarum ductoribus omnibus, & Parochis, qui in partem solicitudinis, ad instar Discipulorum, sunt assumti, enixe in Domino mandamus, ut juxta sacros Canones, & Concilii Tridentini constitutiones, omnino singulis saltem Dominicis diebus, & Festis solemnibus salutari verbi Dei pabulo oves suas pascant, & currentis Evangelii Textum, pro plebium suarum captu, exponant, ejusdemque sensum ad peccatorum, vitiorumque eradicationem pietatis, & vir-

& virtutum incrementum ſuavi ſimul, & forti declamatione convertant (*a*), ut poenam aeternam evadere, & coeleſtem gloriam conſequi valeant.

III. Qui vero hujuſcemodi onus faſtidire, & quovis praetextu excutere praeſumſerint, poenas juxta Concil. Trid. diſpoſitionem ſubtractionis fructuum, & deputationis alterius idonei Miniſtri eorum ſumtibus, aliaſque arbitrio noſtro infligendas juxta contumaciae, & tranſgreſſionis qualitatem incurrant, ne merito, & jure Dominus conqueri poſſit, petiiſſe nimirum parvulos panem, nec fuiſſe, qui frangeret eis.

IV. Acceptabili vero Quadrageſimali tempore, ut moris eſt in Eccleſia Dei quotidie Populus verbo Dei paſcatur, vel ſaltem ter in hebdomada in locis exiguis, in quibus ea viget conſuetudo per Concionatores ad id munus electos, & noſtra miſſos auctoritate; volumus autem, ut qui praetendunt nominationem Concionatoris illam trium idoneorum Miniſtrorum juxta antiquam conſuetudinem, ac ſervata forma Regalium ordinum Nobis non ultra praefinitum tempus, nempe per totam diem Epiphaniae notificare teneantur, alioquin pro illa vice electio ad Nos devolvetur; & inſuper cives, & Populus eumdem alere, & de ſolita eleemoſyna providere debebunt, ſervata tamen illa conſuetudine alternative, quae in hac Civitate, & in loco Atrani, quoad hoc viget: nullus propterea Paroecus, vel qui Eccleſiarum curam gerit, quemcumque Regularem, vel Saecularem Clericum concionari, vel ſermocinari in ſua Eccleſia ſinat, niſi eis prius noſtra, vel Vicarii noſtri Generalis in ſcriptis oſtenſa licentia, nec id nocturno tempore permittat; non enim legimus, Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum ſolitum fuiſſe noctibus ſermocinari, & doctrinam in tenebris tradidiſſe (*b*): & qui contra fecerint ſevere punientur. Regulares in-

E

(a) *Trid. Seſſ.* 5. *cap.* 2. *de Reform.*
(b) *S. Hil. in Matth. in concione* 10. *poſt medium*.

insuper etiam in Ecclesiis suorum ordinum, antequam concionari incipiant, benedictionem a Nobis petere teneantur, nec nobis contradicentibus audeant praedicare sub poenis contentis in constitutione Gregorii XIII., quae incipit: *Immutabili*, et Clementis X. quae incipit: *Superna*.

V. Praedicatores vero quicumque sint a Nobis deputati monitum divi Gregorii ob oculos habeant mentis (a): *Quum libentius illa vox Auditorum cor penetret, quam dicentis vita commendat, illi, quibus administratio verbi commissa est, metiri solicite studeant, quanta tenendae rectitudinis necessitate constringuntur, quia qua necessitate exiguntur summa dicere, eadem necessitate compelluntur summa monstrare.* Sint ergo cogitatione mundi, corde humiles, spiritu fervidi, actione praecipui, in silentio discreti, in verbo utiles, in sermone breves, ac in omnibus praebeant seipsos exemplum bonorum operum, ut non vituperetur ministerium verbi, quod acceperunt a Domino Jesu.

VI. Volumus insuper, ut Praedicatores caveant in re tam Sancta profanis, poeticis, aut scurrilibus adinventis uti, nec non memoriae, ingenii, vanaeque eruditionis, & elegantiae futilem ostentationem facere, sed potius Animarum, ad quas vadunt, saluti consulentes, in manifestatione veritatis praedicent Christum, & hunc crucifixum, ita ut conciones plano, faciliorique stilo imis auribus accommodatas habeant, ut libentius audiantur, & frequentiorem Populum ad illis conveniendum alliciant. Caveant insuper ab ineptilibus, & nimis obscuris quaestionibus, quae audientium animos potius perplexos reddunt, quam aedificant, & Haereticorum sententias, ac argumenta vel omnino omittant, vel sobrie attingant, nec exempla inania effutiant, immo potius è Sacrae scripturae fluvio, sanctorumque Patrum, & Expositorum Libris documenta repetant, quibus Auditorum aures depascantur, eorumque corda ad poenitentiae amorem, & coelestium desi-

(a) *part. 2. Pastoralis cap. 1. & 13.*

desideria conterantur; & praeter Crucem, & Crucifixi Imaginem, alias Imagines, statuas, aut pia spectacula ex Sacro suggestu non exhibeant, ne scandala, aut risus excitetur in Plebe.

VII. Ex Sacris scripturis edocti, quod ex Deo, non sit, qui verba Dei non audit, praecipimus Parochis, & Curatis omnibus, ut saepe saepius, & praesertim ante Adventum, & Quadragesimam Fideles admoneant de necessitate, in qua versantur, Sacras audiendi conciones, ut Verbo Dei salubriter refecti, non deficiant in via peregrinationis suae, sed felici cursu Coelestem, ad quam tendunt, Patriam assequantur; efficacissimum enim est Verbum Dei ad salvandas Animas, dicente Jacobo Apostolo (a): *Cum mansuetudine suscipite Verbum vobis insitum, quod potest salvare Animas vestras.* Ut vero aliis, ut oportet, exemplo sint Canonici, ceterique de Capitulo, & Clerici Cathedralis, & Collegiatarum, dummodo legitime non sint impediti, chorali habitu, & superpelliceo respective induti omnes verba Dei studiose, et omni, qua decet, corporis compositione tempore Adventus, et Quadragesimae audiant sub poena amissionis distributionum majori Missae correspondentium, iidemque alias etiam condignas poenas arbitrio nostro pro transgressoribus taxandas non effugient; prout Sacerdotes, Clericique omnes de nostra Dioecesi, quorum primi spe consequendi beneficia, et gratias a Nobis omnino carebunt, et Clerici ad alteriores Ordines non promovebuntur.

VIII. Magistratus omnes, et Primores hujus Civitatis, et Dioecesis, quos ceteris Religione praecellere decet, in Domino hortamur, ut ad Sacras Conciones frequenter accedant, ac Parentes, et Dominos in tanto salutari negotio, ut Filiis, et servis exemplis, et monitis praeire non negligant, et ut frequens sit Populi concursus ad concionem, monemus pariter omnes Artifices, et Mercatores, ut tempore concionis

 ab

(a) *Cap.* 5.

ab operibus manualibus abſtineant, et apothecas claudant, pro certo habentes, quod ab omnium Remuneratore duplicatum lucrum reportabunt.

IX. Quum denique Praedicatores expleverint munus ſuum ad nos accedant rationem de indigentiis ſpiritualibus Populi reddituri, et ſi quid praeſertim in Clero correctione dignum norint ſecreto Nos de re admoneant, ut, qua par eſt caritate errori convellendo ſtudeamus, et inſuper Parochi Nobis referant quomodo ipſi Concionatores ſe geſſerint tempore, quo Praedicationis munus objerunt, quatenus illos deinceps ad hujuſmodi miniſterium in hac noſtra Dioeceſi admittere, vel ab ovili noſtro procul mittere ſciamus.

C A P. IV.

De Sacrarum Scripturarum Lectione.

I. Quum et omnia, quae credere, quaeque agere, et ſperare Nobis oporteant in Sacrae ſcripturae paginis contineantur, et cuncta quae *(a)* in illis ſcripta ſint ad noſtram doctrinam ſcripta ſint; hinc propterea non immerito a Sacroſancto Concilio Tridentino, Divinaque, & Apoſtolica Traditione, ne coeleſtis ille Sacrorum Librorum theſaurus, quem ſpiritus Sanctus ſumma liberalitate hominibus tradidit neglectus jaceat, inhaerendo ſummorum Pontificum *(b)*, et aliorum probatorum Conciliorum Conſtitutionibus ſancitum eſt, ut alicui ex Canonicis Cathedralium, et inſignium Collegiatarum demandetur Sacrae Scripturae lectio iiſdem in Eccleſiis habenda, ut Populus, eoque magis Clerus eam audiens, nedum illius hiſtoriis, parabolis, et monitis inſtructus remaneat; verum etiam et ſenſuum illius aliquid cognoſcat, et ad bene agendum ſe excitet. II.

(a) *Ad Rom.* 5.
(b) *Conc. Lateran. ſub Innoc. III. cap.* 11., *Concil. Cabilon.* 2. *c.* 3. *Can. de quibus datis* 37. *diſt.*

II. Qui igitur ex Canonicis tam in noſtra hac Cathedrali, quam in Collegiatis hujus Dioeceſis, qui de Praebenda Theologali reperitur inveſtitus, ſingulis Dominicis diebus, vel ſaltem alternis ob Praebendae tenuitatem, Chorali habitu indutus poſt veſperas teneatur aliquid ex Libris Sacrae Scripturae a Nobis, noſtriſque ſucceſſoribus adſignandis explanare per ſeipſum, vel per alium a Nobis adprobandum, ſumtibus tamen Ordinarii Theologi, et quadraginta ſaltem lectiones quotannis publice habeat, qui, ſi id munus neglexerit, fructuum Praebendae pro rata ipſo jure privatus cenſeatur, et Sacriſtiae Cathedralis applicetur; verum Canonicus idem, tametſi ea die, qua docet, Choro non interſit, uti praeſens reputabitur.

III. In exponendis Sacris Scripturis hanc methodum obſervari mandamus: legatur prius a Canonico ſtante Sacrae Scripturae textus, et juxta ſenſum litteralem explanetur; deinde duo ſemper proponantur quaeſtiones, hiſtorialis una, moralis altera, vel de noſtrae Fidei articulis, et Sacramentis, vel de Catholicae Eccleſiae ritibus, eorumque myſteriis, vel aliis ad ſanam doctrinam, et Chriſtianam inſtitutionem ſpectantibus, illaeque juxta Sacrorum Conciliorum Decreta, vel Sanctorum Patrum dicta dilingenter reſolvantur, quae humanae nedum eruditioni, ſed ſpirituali etiam valeant prodeſſe intereſſentium ſaluti.

IV. Hujuſmodi autem lectionibus intereſſe teneantur omnes de Capitulo, et Clero, et primi quidem in ſuo habitu chorali ſub poena amiſſionis integrae diſtributionis illius diei, pauperibus illico erogandæ, ceteri ſub poenis arbitrio noſtro infligendis, ſi abſque legitima cauſa non interfuerint; conveniant quoque et Regulares Confeſſarii, quatenus haec ipſa lectio in eorum Coenobiis non habeatur ſub poena ſuſpenſionis ab audiendis Confeſſionibus.

V. Ipſa autem Theologalis Praebenda, ut docto ſemper, et commendabilibus moribus praedito conferatur, non aliter,

ter, quam per concursum juxta methodum praescriptam a felic. record. PP. Benedicto XIII. in Bulla, quae incipit: *Pastoralis officii*, conferri mandamus.

C A P. V.

De Sacrosanctis Ecclesiis, earumque cultu, ornatu, veneratione, & immunitate.

QUum Ecclesia sit domus Dei, domus orationis, Tabernaculum Dei cum hominibus, Sanctuarium, et Aula Dei, quam decet Sanctitudo, et in ea Sacrosancta perficiantur ministeria; ideo omni cultu, et decore sicuti sponsa ornata viro suo enitere semper debet, illamque debito honere, et veneratione prosequi detrectantes, Christi flagella in hujusmodi praevaricatores juste indignati subituros, nemo ambiget, qui memor sit vindicis dexterae ejus funiculis armatae e Domini Templo Saecularia propellentis.

I. Hinc propterea in primis, quum non deceat Sacra Templa indecora forma aedificari, ideo nemini liceat Nobis inconsultis, et absque licentia Serenissimi Nostri Regis, juxta nuperrimam emanatam Legem, novas Cappellas, Ecclesias, vel Altaria aedificare, et erigere sub poena Interdicti ab ingressu Ecclesiae.

II. Altaria sint omnia lapidea, et in superficie bene complanata, vel saltem sit in eo lapis sacer congruae magnitudinis, ut Calicem cum hostia, et particulis consecrandis commode continere valeat, nec sit minoris longitudinis unius palmi cum dimidio, et latitudinis fere similis, isque sic Altari inferatur, ut paullulum a superficie supergrediatur, ut a Celebrante facile cognoscatur, et effusionis pericula evitentur. Altaria insuper in Ecclesiis non aedificentur de cetero, quae non distent ab invicem saltem per decem palmos, ne, ne cum in eis Divina peragantur, unus Sacerdos alium per-

tur-

turbet. Ubi hactenus aedificata propius reperiuntur, et nullatenus removeri possunt, Missae non simul in eis celebrentur sub poenis nostro arbitrio reservatis. Interdicimus autem Altaria omnia, que Majori adversantur.

III. Quae vero Ecclesiae vetustate, aliave caussa collapsae in totum, vel in aliqua parte sunt, restaurentur, vel si restaurari nequeant, earum onera ad Matricem Ecclesiam transferantur, illaeque penitus destruantur, Nobis tamen consultis, ibique signum Crucis adorandum reponatur ad formam Sacri Conc. Trid. (*a*); coementa vero, omnisque alia materia, quamvis dictae Ecclesiae sint profanatae ad profanum usum non convertantur, absque licentia Nostra in scriptis obtenta; non enim decet, quae aliquando Deo consecrata fuere, in profanis uti.

IV. Et quoniam pro Ecclesiis scriptum est: *Terribilis est locus iste; & qui in terra Sanctorum iniqua gesserit, non videbit gloriam Dei*. Hinc propterea a Dei Ecclesia clamores, strepitus, deambulationes, temporalia negotia, vana, atque profana colloquia, compotationes, et convivia procul sint: ab ea, ejusque coemeterio consilia, electiones Officialium, aut alii contractus in profanis caussis arceantur (*b*); neque circa eam ludi, aut alii fragores exerceantur, quibus Divina officia, aut Fidelium perturbentur orationes; nullusque praeterea Altaribus, vel Baptismi, vel Aquae benedictae fontibus innitatur, multoque minus super Altaribus galerum, pallium, aut similia quaelibet imponere permittatur; Quod si quis contra facere praesumserit, sciat indignationem Omnipotentis Dei incurrere.

V. Mulieres nonnisi velato capite, et decenti, ac modesto habitu Sacras Mansiones ingredi audeant (*c*), et ab hominibus, quoad

(a) *Sess. 21. cap. 7. de Reform.*

(b) *Joh. Andr. in cap. decet de Imm. Eccl. in 6. Sac. Congr. Episc. 12. Januarii* 1604.

(c) *Text. cum glossa in Cap. Mulier il 2. 33. quart. 5.*

quoad fieri poterit, omnino segregatae, tempore praesertim Sacrae communionis, et concionis morentur, et in hoc summopere animadvertant Rectores, et Sacristae Ecclesiarum, et omnino sic observari studeant; quod si negligentes a Nobis comperti fuerint, et hujusmodi mixtio hominum, et mulierum ab eis non evitetur, poenis arbitrio nostro multabuntur pro modo eorum negligentiae; non enim facile est dictu, quanta ex hoc scandala, & occasiones peccatorum, vel saltem divagationes ab oratione exoriantur, et maximopere dedeceat, ut ubi peccatorum venia est petenda, ibi flagitia, et peccata patrari permittatur.

VI. Prospectus in Ecclesias per portas, fenestras, aliasque servitutes activas inducere nemo praesumat, qui Apostolicae Auctoritatis praesidio non fulciatur, et in quibus absque hujusmodi auctoritate inductae reperiantur, illas removere curetur, servatis de jure servandis (a).

VII. Ante fores, Ecclesiae, ejusq; atria non ludatur, neq; aliquid inhonestum et indecens fiat sub poena excommunicationis, neque supra Cappellas, aut Oratoria, in quibus incruentum sacrificium peragitur profana habitatio, aut cubile permittatur, neque Sacras Aedes pacis habitacula armatos ingredi, murisque externis aut januis arma, aut venalia quaelibet adpendere; citationes quoque, Edicta, aut alia hujusmodi Laicalia acta adfigere, vel Saecularis fori judicia intra Sacra septa exercere, nullusque intra Ecclesias, maxime cum Divina officia celebrantur, audeat gestare pileum in capite, aut aliud tegumentum, vel subiretum album.

VIII. Quia vero praecipuum venerationis indicium erga Sacras Ecclesias est earum immunitatem Dei ordinatione, et Canonicis Sanctionibus constitutam, ut ait Tridentinum (b) religiose custodire, omnibus, et singulis, quibus Pastorali vigilantia prospicimus, innotescere volumus, Ecclesiastica im-

(a) *Sac. Congr. Ep. 5. Martii 1619. in Andrien., & Telesina.*
(b) *Sess. 25. cap. 20. de Reform.*

immunitate gaudere Sacras Aedes omnes, et Oratoria publica Ordinarii auctoritate erecta, et fundata, etiamsi nondum benedicta, aut diruta, sed non adhuc profanata, et loca alia eisdem adjacentia, prout fusius per Concordatorum Apostolicorum Regias Leges sancitum est; adeoque quidquid in eis constitutum salubriter est, cupimus ad unquem servatum. Sicubi vero rei criminum non exceptorum Ecclesia abutantur, vel ibi sine modestia degendo, vel Divina perturbando, vel mulieres indroducendo, Vicarii Locorum, Paroeci, Sacristae, aliique Ecclesiarum Rectores Nos admonere non negligant, ut juxta eadem Concordata provideamus.

IX. Ecclesias sacrilego ausu violantes incendio, aut fractione, quaecumque illa sit (a), sive contra portas, vel seras, aut muros, vel fenestras etiam vitreas, et sive Ecclesiae expoliatio, seu damnificatio sequatur, sive non, poenas in sacrilegos a Sacris Canonibus, et legibus civilibus inflictas incurrant.

X. Demum quoad Oratoria, quae in privatis Laicorum domibus sunt constituta, et in quibus Apostolica auctoritate Sanctum Missae Sacrificium celebratur; volumus ut ea omnia, quae in Pontificiae concessionis Brevi, quaeque in jam editis Apostolicis constitutionibus, ac Decretis praescribuntur, et fuse recenset, atque Apostolica auctoritate confirmat S. M. Benedictus XIV. in Epistola encyclica sub datum die 7. Januarii 1741. omnimodae executioni demandentur, et summa religione serventur.

C A P. VI.

De Sacris Imaginibus, & Sanctorum Reliquiis.

I. QUum ex veteris, novaeque Legis testimoniis, ac Traditionibus, nec non ex Sacris Conciliorum Canoni-

F bus

(b) *Cap. super, & cap. in litteris de Raptoribus Can. quisquis 17. quaest. 4. cap. conquest. 24. de sent. Excommunicationis.*

bus, et Summorum Pontificum constitutionibus, ac unanimi Sanctorum Patrum sensu edoceamur, Sacras Imagines in vera Dei Ecclesia magno semper in usu, summoque in pretio atque honore habitas fuisse; hinc propterea Sacrosancti Concilii Tridentini (a) Decreto inhaerentes mandamus Paroecis, iisque, qui docendi munus, ac Animarum curam sustinent, ut fideles diligenter instruant, Sacras Christi, Deiparae, ac aliorum Sanctorum Imagines colendas ac venerandas esse, ut ad Reparatoris, Sanctorumque gesta sectanda, quae fideliter repraesentant, unusquisque inardescat, et ex iis, quae animus novit, surgat ad incognita, quae non novit, coelestemque gloriam, quam impari nimis similitudine adumbrant, precibus, piisque operibus promereri discat.

II. Nullae depingantur, vel apponantur Imagines in Ecclesiis, vel domibus Piorum Locorum, nisi prius Nobis ostendantur, et a Nobis licentia obtineatur, ut si quid profanum, vel divino cultui, ac Christianae Religioni inconsonum, vel aliquid lascivum, ac inhonestum in eis sit, prospicere ac decernere possimus, sub poenis arbitrio nostro.

III. In locis immundis, ac inhonestis, vel humi Sanctorum Imagines, nec non Sanctissimae Crucis signum pingi, vel sculpi penitus prohibemus, et si aliquae pictae, vel sculptae reperiantur, Locorum Curatis denunciari, et ab eis deleri, vel abradi mandamus.

IV. Sanctorum Reliquias, quae olim Sp. S. Templum, ac Christi viva membra fuerunt, omni reverentia venerandas esse decernimus; et ideo quae verae, et adprobatae sunt, in honesto, ac decentiori loco accurate custodiantur, a Sacramento autem Eucharistiae segregato, et clavibus tutis obserantur; de uno loco ad alium absque Nostra speciali licentia non amoveantur, neque ullo modo vendantur neque Populo, nisi a Sacerdote superpelliceo, ac stola induto, et lu-

(a) *Sess. 25. de invoc. & vener.*

luminaribus accensis, thuriferatione, et Oratione dictis Sanctis conveniente adhibitis non ostendantur : a laicis tractari, et ad infirmos deferri omnino prohibemus, prout et Sacerdotibus absque Nostra, et successorum Nostrorum licentia. Si vero de earum adprobatione, et idemditate nullum adest publicum documentum, nullo modo per Parochos, Sacristas, aut alios Sacerdotes publice exponantur absque nostra expressa licentia; sub poena librarum triginta caerae albae elaboratae, sed asserventur seorsim in aliquo decenti loco, donec aliter per Nos, et Nostram Curiam Archiepiscopalem fuerit provisum.

V. Novae autem Reliquiae non admittantur, nisi per Nos, vel per Nostrum Vicarium Generalem (a) omni diligentia receptae, et adprobatae fuerint ; idemque in novis miraculis servari mandamus, donec Nobis fuerint denunciata, ac circa illorum veritatem a Nobis cum consilio Theologorum fuerit decretum sub poenis arbitrio etc.

VI. De Sacris Reliquiis legitime recognitis, et adprobatis in quibusvis Ecclesiis fiat Catalogus in marmore, vel in pergamena, in quo distincte adnotentur Sanctorum nomina, quorum Reliquiae habentur, et inibi honorantur (b), et prope armariolum, ubi repositae reperiuntur, affigatur. Hujusmodi vero Catalogi exemplar exhibeatur in Nostra Cancellaria, ut unus codex conficiatur, in quo singularum Ecclesiarum, et Dioecesis Reliquiae descriptae videantur.

VII. Insigniores Reliquiae, cum in Processionibus deferendae erunt a priore illius Ecclesiae Dignitate Pluviali, stola, ac superpelliceo induta, capite denudato, omni reverentia ac devotione, et cum caereis accensis deferantur.

(a) *Cap. 2. de Reliquiis, & veneratione Sanctorum.*
(b) *Cap. quum ex eo, de Rel. & vener. Sanctorum Conc. Mediol. part. 1.*

C A P. VII.

De festorum dierum, & jejunii observatione.

I. QUantinam interſit feſtos dies colere, et Sabbata Christiana obſervare vel ex hoc facile intelligi poteſt, quod Dominus morte multavit polluentes Sabbatum, et de medio Populi ſubſtulerit animas eorum, qui opus eo die feciſſent. Ut vero feſti dies in honorem Supremi Creatoris die ſeptimo requieſcentis, & Deiparae, Sanctorumque cultum inſtituti (*a*), ea qua par eſt, obſervantia recolantur; haec precipuae ſervanda eſſe, a Conciliis, & Sanctis Patribus, ac Apoſtolicis Conſtitutionibus ſtatutum fuit, nimirum ab operibus ſervilibus vacare, & Miſſae ſacrificio intereſſe, peccatorum expiationi, Sacramentorum perceptioni, precum Deo effuſioni, Doctrinae Chriſtianae addiſcendae, Divinorum Officiorum intereſſentiae, ac Concionatorum monitis capeſſendis, ſedulo incumbere.

II. Hinc propterea Parochi, Concionatores, & Confeſſarii fideles ſaepe hortentur ad feſtorum hujuſmodi ſanctificationem, illoſque moneant, fruſtra ſibi blandiri dies feſtos ſanctificare, ſi a ſervilibus operibus vacantes, Miſſa vix male audita, totum diem in aleis, choreis inhoneſtis, ebrietatibus, comeſſationibus, aliiſque hujus generis peccatis, & vanitatibus tranſigunt. Nam eos lethalis peccati reos eſſe, definivit Toletana Synodus, cujus Sanctiſſimae Sanctioni inhaerentes, Parochis, & Curatis omnibus, nec non Vicariis Foraneis hujuſce Dioeceſis ſtricte praecipimus, ut ſaltationes, theatrales ludos, larvas, & tripudia, bacchanaliorum etiam tempore, aliaſque id genus modo indicatas, Feſtorum profanationes, diebus Deo dicatis, omnino evitare ſatagant, & ſi per laicos Feſta violari videant, Saecularis poteſtatis opem implorare non praetermittant, ut per eam, juxta

(a) *Cap. 2. & in fin. de Feriis de Reliquiis, & Vener. Sanctorum in 6.*

juxta encyclicum Sereniſſimi, Piiſſimique tunc Noſtri, nunc Hiſpaniarum Regis Reſcriptum, hujuſmodi tranſgreſſores puniantur.

III. Quum vero felic. record. Summus Pontifex Benedictus XIV., pauperum levamini proſpiciens opus, & laborem indulſiſſet in nonnullis feſtis diebus, in quibus antea ſervile opus vetitum erat, retento tantum onere Miſſam audiendi; idcirco omnibus, qui Animarum curae praeſunt, mandamus, ut ſingulis Dominicis diebus inter Miſſarum ſolemnia, Feſta in ſequenti hebdomada ſervanda Populo denuncient, ut ſciat ipſe, in quibus non ſolum Miſſae Sacrificio intereſſe, et ab operibus ſervilibus ſe abſtinere, & in quibus tantum Miſſam audire teneatur; Populumque ipſum hortentur juxta Tridentini monitum (a), ut Miſſam in ſolemnibus praeſertim diebus, et Dominicis in propria Parochiali Eccleſia quiſque audiat, ut expoſitioni Evangelii, Vigiliarum, et Feſtorum hujuſmodi praemonitioni, Matrimonialibus, aliiſque id genus denunciationibus adeſſe poſſit, quod maxime laudabile erit.

IV. Curent inſuper Parochi, & Animarum Ductores omnes noſtrae Dioeceſis Catalogum, ſive Tabellam Feſtorum, quoad praefatas duas obligationes, in hacmet Dioeceſi ſervandorum, quem hic infra ſubnectemus, in Sacriſtia, vel alibi in Eccleſia apponi, ita ut unanimiter, & eodem ordine in ſingulis locis pronuncientur.

V. Sacra quoque jejunia, quae certis anni temporibus, ac diebus ſervari jubet Eccleſia, et praeſertim jejunium Quadrageſimale, quod antiquis Eccleſiae Patribus, atteſtantibus, Dominicae converſationis contineat exemplum, & quod ſine peccato non ſolvatur cum S. Ambroſio convenit tota Eccleſia, prout lethale peccatum eſt, jejunium Vigilarium, & Quatuor Temporum violare, cum animi alacritate, & fervore ſuſcipi, & juxta jejunii praeſcriptas Leges, & praecipue ad

(a) *Seſſ. 22. Decr. de Obſervandis in celebr. Miſſarum.*

ad normam plurium encyclicarum litterarum recolendae memoriae Sanctissimorum Pontificum Benedicti XIV., & Clementis XIII. ab omnibus curae nostrae subjectis religiose observari mandamus.

VI. Parochi proinde in eorum Conventuali Missa Plebem suae vigilantiae demandatam de jejuniis infra hebdomadam occurrentibus praemoneant, et ad Quadragesimale praesertim servandum hortentur, & ut Ecclesiastici jejunii disciplinam a Majoribus nostris religiosissime custoditam, sed aetate nostra non parum labefactatam reparare, prout fas est, studeant: accomodata oratione Plebem ipsam instruant, parum prodesse a carnalibus escis jejunare, nisi quoque a vitiis, & a Dei, & Proximi offensionibus abstineatur, & juxta Sanctorum monita, fiat cibus pauperum abstinentia jejunantis, et ideo praedicto Quadragesimali tempore quo magis ad Dei misericordiam, ob proximam suae Passionis, ac Resurrectionis memoriam, nobis pateat accessus, unusquisque orationes, supplicationes, eleemosynas, nec non alia pia opera jejuniis conjungere, atque culpa vacare conetur.

VII. Insuper curent Parochi aliquando per annum, ac potissimum Quadragesimali adpetente tempore, Sanctissimas Leges a praenarratis duobus Summis Pontificibus Benedicto XIV., et Clemente XIII. novissimis hisce temporibus pro recta jejunii observantia in citatis encyclicis litteris ad introductos abusus penitus extirpandos praescriptas Populo explicare, earumque fidelem observantiam enixe commendare, et ut hoc facilius exequi possint, hic infra illas subnectemus. Praescripsit primo SS.Pontifex Benedictus XIV. nemini quidem sine legitima caussa, et sine utriusque Medici consilio, multitudini vero, veluti Populo, aut Civitati, aut genti indiscriminatim integrae, nonnisi gravissima, et urgente necessitate, et in casibus per Sacrorum Canonum statuta praescriptis cum debita Sedis Apostolicae reverentia a Quadragesimali jejunio dispensationem esse concedendam, nec eam

eam audacter, fidenterque usurpandam, aut superbe & arroganter ab Ecclesia esse postulandam.

Secundo quibuscumque, & quacumque occasione sive multitudini indiscriminatim, sive singulis ob legitimam caussam, & de utriusque Medici consilio (dummodo nulla certa, & periculosa valetudinis adfectae ratio intercedat, & aliter fieri necessario exigat) in Quadragesima, aliisque temporibus anni, & diebus, quibus carnium, ovorum, & lacticiniorum esus est prohibitus dispensari contigerit, ab omnibus omnino, nemine excepto, unicam comestionem servandam esse, & licitas, atque interdictas epulas minime esse adponendas.

Tertio concedentes facultatem vescendi carnibus tempore vetito, sub gravi teneri easdem facultates non aliter dare, quam geminis hisce adjectis conditionibus, videlicet unicae in diem comestionis, et non permiscendarum epularum. Eos vero, qui hujusmodi facultatibus utuntur, sub gravi ad binas ipsas conditiones implendas obligari.

Quarto utrumque praeceptum unicae comestionis, & non permiscendi epulas licitas cum interdictis etiam extra Quadragesimam urgere iis diebus, quibus servandum est jejunium de praecepto.

Quinto epulas licitas, quae vetantur cum interdictis conjungi, pro iis, quibus permissum est carnes comedere, esse carnes ipsas; epulas vero interdictas esse pisces, adeoque utrumque simul adhiberi non posse; piscibus tamen edendis non interdici eos, quibus datur tantum facultas adhibendi ova, & lacticinia:

Sexto iis, quibus concessum est vesci carnibus, non licere eam in vespertina refectiuncula adhibere etiam in modica quantitate, sed tantumodo eo cibo, eaque potione uti, quibus utuntur jejunantes rectae meticulosae conscientiae.

Septimo praeceptum de utroque epularum genere non miscendo dies quoque Dominicas Quadragesimae complecti;

&

& ab iis, quibus jejunii tempore vesci carnibus permittitur, non modo unicam comestionem, verum etiam horam jejunantibus praescriptam observandam esse: quibus jejunii legibus a Benedicto XIV. praescriptis, adjunxit etiam illam Clemens XIII. in sua encyclica Epistola ad universos Ecclesiae Catholicae Episcopos data die 20. Decembris 3-59. videlicet non licere iis, quibus ob justas, & legitimas caussas ab abstinentia carnium dispensatum fuerit, extra unicam comestionem potiones lacte permixtas sumere, sed illos, unica excepta comestione, in omnibus aequiparandos iis esse, quibuscum nulla est dispensatio, ac propterea tantummodo ad unicam comestionem posse carnem, vel quae ex carne trahunt originem adhibere.

VIII. Tandem quia in sacris litteris scriptum habemus (a): *qui jejunat in peccatis suis, & iterum eadem faciens quid proficit humiliando se?* Ut peccandi occasionibus atque periculis aditus omnis intercludatur, utque ad veram Poenitentiam Christianorum Spiritus comparetur; quidquid inconditam laetitiam, ac voluptatem praesefert toto Quadragesimali tempore in nostra Dioecesi interdictum cupimus, atque exulare; choreas itaque, & comoedias tam publicas, quam privatas, inania spectacula, publicos ludos, scurrarum, & circulatorum gesticulationes, aliaque hujusmodi omnino prohibeantur; nec non Parochi Fideles illos, quibus juste super carnium, aut ovorum, & lacticiniorum usu concessa est dispensatio commonere satagant, ne per illa pietatis opera, quae sua cuique Religio suggeret, peccata sua expiare, & Deo satisfacere negligant; cunctosque ad verbum Dei quotidie audiendum hortentur.

CAP.

(a) *Ecclesiast.* 34. v. 31.

C A P. VIII.

De Divinis Officiis, ſeu de Horis Canonicis ſive privatim, ſive in Choro perſolvendis.

I. QUum de Pſalmodia peragenda ex Divinis Scripturis, & ipſius Domini & Apoſtolorum habeamus documenta, & exempla, & praecepta, ut ait D. Auguſtinus (*a*), ut illa, & ad Dei amorem Fideles excitarentur, & variis vocibus in unam armoniam conſentientes in unum Fidelium mentes conſpirarent, prout monet S. Athanaſius; & in primaeva Chriſti Eccleſia Clerici omnes ſive majori, ſive minori fungerentur Clericatu, ſtatis horis una cum Chriſtiano Populo convenire compertum ſit, ut divina celebrarent officia, & Clericatu prorſus indignus habebatur, qui hoc ſervitutis ſuae penſum Deo perſolvere negligeret, quod uſque ad duodecimum ſaeculum invaluiſſe teſtantur Conciliorum Decreta, ac Romanorum Pontificum Conſtitutiones (*b*), poſt decimum tertium ſaeculum emanatae, quibus ſoli Beneficiati, & Clerici in ſacris Ordinibus conſtituti ad horas Canonicas perſolvendas, ſive publice, ſive privatim obligantur.

II. Omnes itaque hujuſmodi Clerici, qui Canonicarum horarum Officiis devincti ſunt, ſtatas eas preces horarias quotidie recitent, ad praeſcriptum Kalendarii Anniverſarii rationem, & ritum, quod omnino penes ſe quemque habere jubemus; id vero faciant non perfunctorie, & negligenter, ſed attente, pie, decore, ſupplicique mente, ne dum lingua orat, mens ſine fructu ſit; *orent ſpiritu*, ut ait Apoſtolus (*c*), *orent & mente*, *pſallant ſpiritu*, *pſallant & mente*; ac proinde Horas Canonicas recitaturi in locum ab omni

(a) *Epiſt.* 119. *cap.* 18.

(b) *Conc. Baſil. ſeſſ.* 21. *Can.* 5., *Conc. Lat.* 4. *Can.* 17., *Conc. Lat. Seſſ.* 9., *&* *S. Pius V. Conſtit. ex Proxima Lat. &c.*

(c) *Ad Cor. cap.* 4.

remotum ſtrepitu, quoad fieri poteſt, recedant, illaſque non deambulando, non ſcribendo, non adloquendo, neque huc, illucque oculis diſcurrendo recitent, & quod legunt, dent operam, ut intelligant, & quod ore proferunt, intimo animi ſui ſenſu proſequantur, ut tria illa, quae in praeſcribenda Horarum Canonicarum recitatione ſibi propoſuit Eccleſia, facile aſſequantur, nimirum, ut coeleſtem illam Jeruſalem, quae Divinis ſemper reſultat laudibus militantis Eccleſiae Cives aemulentur, ut tamquam Miniſtri Eccleſiae Deum obſecrationibus, ac precibus Chriſtiano Populo placatum propitiumque reddant, & tandem, ut per quotidianam Pſalmodiam arctius Deo adhaereant, ejuſque perpetua familiaritate fruantur.

III. Qui vero in Choro hujuſmodi Horarum Canonicarum recitationem perſolvere tenentur memores ſint, eos in eo loco ſtatis horis aſſiſtere, & ad Deum pro fidelibus pias religioſaſque fundere precationes, & divinas laudes Concelebrare teneri, ne dum ut fructus Canonicatus, ſive Beneficii ex Choro provenientes faciant ſuos, verum etiam ne gravi culpa apud Deum alligentur.

IV. In Choro nemo privatim, nemo tacite Divinum Officium recitet, ſed omnes pariter quicumque adſunt ſenes cum junioribus teneantur laudare nomen Domini in Pſalmis, Hymnis, & Canticis, & a quavis peculiari actione ſe abſtinere, ſed alternatim inſimul canere, inſimul audire, inſimul ſtare, inſimul genuflectere, & inſimul ſedere; qui ſecus fecerint, abſentes cenſeantur, & punctaturae ſubjaceant.

V. Nulli in Choro dum pſallitur, præterquam Eccleſiaſticis Perſonis illi inſervientibus, juxta mentem Leonis IV. locus concedatur; quod ſi laici homines, cum Divina peraguntur Officia, Chorum ſive Presbyterium ingrediantur, illos Chori Praefectus admoneat, ut illico abeant, prout exemplo ſuo S. Ambroſius canit: Clerici vero qui divinis Officiis interſunt toto corporis habitu, modeſtiam, pietatem, veramque erga

erga Deum Religionem praeseferant, & ad Magistri Caeremoniarum nutum Sacras Caeremonias pie, ac religiose exequantur, alias punctatura multentur.

VI. Qui in Choro ad Matutinum non adfuerit ante finem primi Hymni, ad alias Horas ante finem primi psalmi, ad Missam ante finem ultimi *Kyrie eleison* pro absente reputetur, ac illius Horae, aut Missae distributione privetur, prout usque adhuc observatum est; eamdemque poenam incurrere volumus, qui ante finem Officii, vel Missae discesserit, absque licentia Praefecti, quae non concedatur, nisi ex justa, & urgenti caussa, supra quo conscientiam ipsius Praefecti oneramus.

VII. Quum multum indecens sit, dum Divinae Laudes recitantur Canonicos, ceterosquo Choro addictos in eo assistere absque proprio habitu Canonicali, seu Chorali huc, vel illuc per Ecclesiam discurrere, ad alienas sedes divertere, vel extra stallum permanere, indecenter oscitare, ridere, colloqui, turpiter sedere, litteras legere, vel alia hujusmodi peragere; ideo monemus omnes, ut debitis induti vestibus Choro, deserviant in suis locis permaneant, & Deo, cui servire regnare est, servitutis suae famulatum pie, & exacte persolvant; quod si secus fecerint illius Horae distributione eo ipso privati censeantur; qua in re conscientiam Praefecti Chori oneramus, cujus quoque munus sit silentium in Choro indicere, ac vigilare, ne divina officia, vel eorum pars aliquo modo omittatur, & signum dare, quando dictae Laudes inchoandae erunt, & in quo loco, nimirum an in hyemali, vel aestivo Choro, praeter quos non liceat in alio Ecclesiae loco arbitrio Canonicorum mutando officia celebrare, nisi justa superveniente caussa a Nobis adprobanda; & qui unum ex praedictis commiserit poena librarum decem cerae albae elaboratae punietur pro qualibet vice.

VIII. Subcantores, ac alii Chori Officiales solliciti sint eorum officium exacte obire praeparando, ac ordinando ea,

quae ad Divina persolvenda requiruntur sub paena amissionis distributionis illius Horae, si negligentes se praebuerint in suo officio fungendo.

IX. Cetera, quae ad Chori disciplinam spectant, & a Nobis in Edicto de hac re alias emanato sancita sunt adamussim exequi mandamus, & ut omnia debitae executioni mandentur; Punctatores ex corpore Capituli singulis annis eligi praecipimus, morum probitate laudabiles, & qui ad hoc idonei sint, quibus alii Fiscales a Nobis adjungentur, & eorum cura erit omnes in praefatis delinquentes in libro punctationum adnotare; ideo semper penes se dictum librum habeant, diligenterque custodiant, & fideliter de dictum officium exercendo juramentum in infrascripta forma praestare teneantur. Hujusmodi vero librum quolibet Mense Nobis, vel Vicario Nostro Generali deferri volumus, ut qui negligentes, & qui frequentes in Dei famulatu se praestiterint, Nobis innotescat, & si opus fuerit praeter amissionem punctorum alia poena juxta Sacros Canones, & Apostolicas Sanctiones multari pro modo negligentiae possint.

X. Nemini autem sibi inter se concedere, vel donare punctationes, quod jura prohibent, licitum sit, sed inter eos qui choro interfuerint lucra ab eis provenientia tantum dividantur: quilibet autem in posterum qui Divinis Horis, ac Missis interfuerit lucretur punctationes, quamvis non sit illius hebdomadae, prout alias in hac Dioecesi servatum, & in antecedenti Synodo statutum fuit. In festis vero diebus, & Dominicis per annum omnes interesse teneantur sub poena arbitrio Nostro; idemque observari mandamus tempore Quadragesimae, & Adventus.

XI. In reliquis Ecclesiasticis functionibus servetur ordo, & praescriptum sacrarum Rubricarum, & Caeremonialis Episcoporum, & non aliter, & in Sabbato Majoris Hebdomadae signum Campanae non detur a Regularibus ante signum Nostrae Archiepiscopalis Ecclesiae cujuscumque loci sub poenis

nis in constitutionibus Pontificiis contentis, & decretis Sac. Cong. Trid. Conc. Interpetris.

FORMA JURAMENTI PUNCTATORUM.

EGo N. ad Punctatoris officium deputatus juro, ac promitto, quod officium hujusmodi diligenter, ac fideliter exercebo: & librum punctationum conficiam, in quo sine fraude, ac dolo, omnibus humanis adfectibus remotis, illos Canonicos, & quoscumque alios ad Divini Officii solutionem in Choro obligatos, & alios ad quos spectat, qui tempore opportuno ad Divinorum Officiorum recitationem in Choro adfuerint, & quae ad hoc faciunt statuta Illustrissimi, ac Reverendissimi Archiepiscopi, servaverint, describam; sic me Deus adjuvet, & haec Sancta Dei Evangelia.

C A P. IX.

De Sacris Ritibus.

I. QUum in Sacramentorum administratione, ceterisque Ecclesiae functionibus ritus quidam, & Caeremoniae, ex Apostolorum traditione, in Ecclesia semper receptae sint, utpote quae juxta Concilium Tridentinum (a) nihil contineant, quod non maxime Sanctitatem, ac pietatem quamdam redoleat, & Fidelium mentes in Deum per eas erigantur; ideoque non otiose, neque ut hominum figmenta reputandae sunt, quemadmodum volunt Heterodoxi, sed ut necessariae in Can. 13. Sess. VII. ejusdem Tridentini statutae sunt. Nos itaque SS. Patrum, & Conciliorum vestigiis inhaerendo nonnulla de sacris Ritibus, & Caeremoniis praecipienda duximus, ut sancta sancte administrentur, & Fidelium animi ad veram pietatem excitentur.

II. Omnes ergo Matrices Ecclesiae Nostrae Archidioecesis,

(a) *Sess. 22. cap. 5. de Sacrif. Miss.*

fis, nec non Almum Nostrum Seminarium unum, vel plures habeant Caeremoniarum Magistros, qui omnia ad Divinum cultum spectantia sedulo curent, & diligenter dirigant; Quapropter in Nostra Cathedrali Ecclesia, in Collegiatis, ceterisque Ecclesiis Matricibus vulgo Presbyterorum Congregationibus nuncupatis, in quibus semel in Hebdomada, vel bis saltem in Mense Casuum Moralium resolutio laudabiliter peragitur, volumus omnino, & praecipimus, ut sacrorum Rituum Magister eligatur, qui post Casuum discussionem, suam habeat ad Clerum de Sacris Ritibus lectionem, illumque practice in omnibus, quae ad Sacramentorum administrationem, Divinorumque Officiorum celebrationem, & praesertim, quae ad Sacrosanctum Missae Sacrificium adhibenda sunt, instruat & informet.

III. Volumus insuper, ut nullus advena Sacerdos, qui in Nostra Dioecesi suum incolatum protrahere intenderit, ad Missae Sacrificium admittatur, nisi praeter Nostrae Curiae licentiam, Magistri Caeremoniarum adtestationem de ejus in sacris Ritibus idoneitate Ecclesiarum Praefectis exhibeat, & praesentet.

IV. Nullus pariter recens ordinatus Sacerdos ad primam Missae celebrationem, sive ad alia Sacerdotalia munia rite obeunda admittatur, nisi praevia praefati Magistri Caeremoniarum Nostrae Cathedralis adtestatione, & Nostrae Archiepiscopalis Curiae venia & permissu.

V. Caeremoniarum Magister in enunciatis Ecclesiis non eligatur, nisi Sacerdos qui statura, & totius Corporis conformatione gravis sit, & venerabilis, nec non morum integritate laudabilis, & Ecclesiasticorum Rituum peritia laudabilior sit, atque instructior.

VI. In Nostra Metropolitana Ecclesia duo semper Caeremoniarum Magistri existant; Sacerdos unus, qui circa Personam Nostram sollicitus sit, a qua numquam discedat, ut Nos admonere, & adjuvare in iis, quae acciderint promtus sit

ſit atque paratus; alter vero, qui ſaltem ſacris ſit initiatus Ordinibus praecipuam habeat curam celebrantis, & illius miniſtrorum, atque eos comitari huc illuc, prout occaſio poſtulaverit, & Sacra functio patiatur.

VII. In functionibus vero, quae raro occurrunt, & quae ſolemniori agi ſolent ritu, ut in Eccleſiarum Conſecratione, Regum coronatione &c. ambo enunciati Caeremoniarum Magiſtri conveniant, praeparantes prius, quae praeparanda ſunt, ut omnia ordinate, perbelle, & majori, qua decet, gravitate, & reverentia peragantur.

VIII. In omnibus Eccleſiaſticis functionibus, quae in Caeremoniali Epiſcoporum ſtatuta habentur; tam Nobis praeſentibus, quam abſentibus adamuſſim obſervent Coeremoniarum Magiſtri, & ab aliis quibuſcumque ut obſerventur, ſedulo incumbant.

IX. Senioris Noſtrae Cathedralis Magiſtri Caeremoniarum inter alia haec ſint ejus munia, nempe Kalendarium tam pro Miſſarum celebratione, quam pro Horarum Canonicarum recitatione, nec non Tabellas efficere Miniſtrorum, qui in Majori Hebdomada, ceteriſque Eccleſiae Noſtrae ſolemnitatibus functiones agere debeant, ut omnia ſine perturbatione, & ordinate fiant.

X. Clerici omnes, Sacerdotes quicumque, Beneficiati, Canonici, Dignitates cujuſcumque gradus, & conditionis exiſtant, non obſtantibus quoad hoc privilegiis quibuſcumque, praefatis Coeremoniarum Magiſtris adamuſſim obedire teneantur atque parere, prout Nos quando praeſentes erimus obtemperare, & obedire parati ſumus. Quos vero ſibi inobedientes ſemel, & iterum experti fuerint Caeremoniarum Magiſtri Nobis denuncient, ut paterna prius admoniti caritate contumaces pro culpae modo poenis afficiantur.

CAP.

C A P. X.

De Processionibus.

I. PRoceſſionum, ſive Supplicationum conſuetudo ex Apoſtolica derivata traditione, & ex Iſraelitici Populi uſu ſuſcepta, ſemper in Eccleſia univerſali apud Clerum, & Populum obtinuit; quoniam elatis vexillis, aeris Campani, vel tubarum clangore gentes convocabantur, & ſupplices Deo preces fundebantur ad averrucénda Divina flagella, quae Deus propter Populi ſcelera iratus eiſdem minabatur. Ut autem Proceſſiones debito, quo decet, ordine, & animi devotione fiant, quicumque Clerici praeſunt, omnem quoad hoc ſollicitudinem adhibeant, atque zelum oſtendant.

II. Volumus igitur, atque omnino praecipimus, ut ubi Proceſſio inſtituenda ſit, quotquot ad eam convenire tenentur, bini ab Altari, facta prius ibi debita reverentia, procedant, ne velut grex confuſe, & inordinate incedentes, offendiculo potius, quam aedificationi ceteris exiſtant.

III. Porro idem multo magis obſervatum volumus, quando Venerabile defertur. Sacramentum ad hoc, ut quo par eſt cultu illud ante omnia bini utroque genuflexo, capitiſque inclinatione ex corde adorent; & interea Sacerdos in medio ſtans Altari utraque manu elevatum Populo oſtendat Sanctiſſimum, ac Venerabile Sacramentum.

IV. Omnes, & ſinguli proceſſionaliter incedentes aequae ſint diſtantiae, pſallant omnes, & geſtu, inceſſu, habitu, aſpectu, totiuſque Corporis habitudine ita ſint compoſiti, ut nihil, niſi grave, & veneratione plenum, praeſeferant, & id unum ad quod ſupplicatio inſtituitur, in animo gerant.

V. Omnes generales Proceſſiones, quae in hac Urbe inſtituaendae ſint, a Noſtra ſemper incipiant Cathedrali, & ad eamdem revertantur; Crucis vexillum a Clerico ſuperpelliceo induto cum duobus caeroferariis ſemper geſtetur: & omnes Cleri-

Clerici tam Saeculares, quam Regulares etiam exemti cum ſuis decoris inſignibus, & indumentis, & Confraternitates Laicorum dum intervenerint cum ſaccis proceſſionaliter accederedebent, nec ullus a Proceſſione diſcedat, niſi ad eamdem, pervenerit Cathedralem, & preces fuerint omnino abſolutae.

VI. Paroeci omnes, Dominica, quae diem inſtituendae Sanctiſſimi Sacramenti Proceſſionis praeit, ſuos praemoneant ex. Altari Parochianos, ut vias, per quas incedendum erit, mundent, & floribus, aliiſque, ſi fieri poterit, nobilitent ornamentis ad majorem Dei gloriam, & Sanctiſſimi Sacramenti venerationem ac decorem.

VII. In quibus Eccleſiis Sanctiſſimi Sacramenti Societas inſtituta reperitur, Dominica tertia cujuſcumque menſis ſpecialis fiat Proceſſio cum ſolemniori, quo poſſit, ritu & pompa in ejuſdem Auguſtiſſimi Sacramenti honoris ſignificationem.

VIII. Nullas quis audeat indicere Proceſſiones praeter illas, quae in Miſſalis Romani leguntur Rubricis, Noſtra non obtenta prius inſcriptis licentia, ſub poena Interdicti Eccleſiae, a qua prodierit, licet Regularium ſit, vel Laicorum Confraternitatis.

IX. Ab intereſſendo Supplicationibus, Publiciſve Proceſſionibus nullus, niſi gravi infirmitate, vel legitimo detentur impedimento, excuſetur: contumaces vero per Generalem Noſtrum Vicarium in Urbe, & per Foraneos in Dioeceſi arbitrio Noſtro corripiantur, ac pro modo culpae multentur.

X. Regulares omnes etiam exemti, exceptis ſolum iis, qui perpetuo in Clauſtris vivunt, & Laicorum Confraternitates, ſive Congregationes nuncupatae ad publicas Proceſſiones, & Supplicationes alias fieri ſolitas injuſſi accedant; ad extemporaneas vero, & inſolitas nonniſi vocati accedere tenentur ſub poenis per Concilium Tridentinum, ceteraſque Pontificias Sanctiones comminatis, & inflictis.

DECRETUM

Prorogationis futurarum Sessionum.

QUamvis haec praesens Dioecesana Synodus Edicto publicato, & adfixo, hac die cum aliis immediate sequentibus celebranda fuisset, prout jam inchoata fuit, & nonnulla Decreta ad Religionem spectantia promulgata in praesenti sessione fuerunt; verum quum nonnullis justis de caussis praepediti reliquas subsequentes Sessiones pro nunc habere, ceteraque Decreta in iis publicanda, edicere non valemus; ideo praefatas futuras Sessiones ad tempus magis congruum, & opportunum differendas esse, duximus, prout praesenti Decreto ad tempus altero Edicto noviter indicendum, ut omnia majori cum deliberatione procedant, differimus, & prorogamus, & omnes huc convocatos ad proprios pro nunc in pace redire lares decernimus, denuo reversuros, dum noviter ipsi fuerint convocati.

IN-

INDICTIO

Continuationis Synodi Amalphitanae jam inchoatae die 27. proxime elapsi mensis Junii, justis de caussis huc usque dilatae

ANTONIUS PUOTI
Dei, & Apostolicae Sedis Gratia Archiepiscopus Amalphitanus.



Uum Mensibus elapsis Dioecesanam Synodum in hoc Metropolitano Templo die 27. cum sequentibus praeteriti Mensis Junii in quarum prima gloriosissimi S. Andreae Apostoli praecipui Patroni hujus Civitatis Patrocinii Festum recurrebat, Nostris litteris sub datum die 20. mensis Maii currentis anni indixerimus celebrandam eo animo, eoque consilio, ut cum dilectis Fratribus Nostris in uno, eodemque spiritu convenientes, Synodales Constitutiones in hac Dioecesi annis ab hinc centum triginta novem penitus ignotas brevem, & faciliorem regulam Ecclesiasticae Disciplinae continentes ediceremus; quumque vero justis, rationabilibusque de caussis factum fuerit, ut post completam primam ipsius Synodi sessionem, in qua de rebus ad Religionem spectantibus actum fuit, reliquas duas sessiones habere non potuerimus; illas propterea ad commodius &

 oppor-

opportunius tempus differre coacti fuimus ac prorogare, praesertim ut rebus in illis agendis majori diligentia, ac saniori consilio animum adpellere potuissemus, quod quum jam factum fuerit; matura idcirco deliberatione Nostra ad dies vigesimam nonam, & trigesimam advenientis mensis Novembris, quarum primam Ecclesia vigiliae Festi praenarrati D. Andreae Apostoli, & secundam ipsi Festo Ejusdem Sancti recolendo addixit, ipsas duas reliquas sessiones, jam incaeptae Synodi celebrandas edicimus, atque statuimus, ut sicut eadem Synodus sub auspiciis dicti S. Apostoli praecipui Nostri Patroni incepta fuit ita sub eisdemmet auspiciis compleatur, felicemque, ac prosperum sit habitura successum; quocirca omnes & singulos, ad quos de jure, aut quavis Consuetudine spectat interesse, iterum monemus, & requirimus, ut praestitutis jam diebus ad praefatas duas reliquas sessiones Dioecesanae jam inchoatae Synodi celebrandas, ipsamque Synodum complendam, quas in eodem supradicto Amalphitano Templo habebimus, omnino conveniant, nihilque praetermittant, quod prioribus litteris Nostris praecepimus, sed interim omnia in honorem Sanctissimae Virginis Mariae, necnon gloriosissimi S. Apostoli Andreae adimpleant. Datum Amalphiae ex Nostro Archiepiscopali Palatio die 4. mensis Septembris 1771.

ANTONIUS ARCHIEPISCOPUS AMALPHITANUS.

Franciscus Canonicus de Stefano Cancellarius.

ORA-

ORATIO

Habita ad II. Sessionem Synodi Amalphitanae

A Reverendissimo Domino

D. ROMUALDO CONSILIO J. U. D.

Protonotario Apostolico, & Vicario Generali Amalphitano.

Q Uum Noster Protoparens (amplissime Archipraesul, Praestantissimi Capitulares, & Venerandi Sacerdotes) mandatum Dei in Paradiso fuisset transgressus, statim Sanctitatem, Justitiam, Innocentiam, in qua constitutus fuerat, amisit; & ita, per offensam praevaricationis, Natura Humana sauciata, & flagitiis obnoxia, immo inconstans remansit, ut nunquam in eodem statu persistat, hominumque ingenium inconditum, & sibi obluctans, in eam pervenit asperitatem, ut priscis Sapientibus visum fuerit, non posse Reges, licet armis obvallatos, Regna gubernare, ac Praesules suas Dioeceses regere, nisi peritorum habuerint Conventus, qui Leges, Decreta, & Sanctiones conderent pro bono Populorum regimine, & sic Legum vinculis effrenae naturae reprimere libertatem. Nec ab hujusmodi proposito unquam recesserunt Graeci Athenienses, qui Legum, & Sanctionum auctoritatem, & praestantiam ita praeclare existimarunt, ut eas tanquam Divinitatis oracula habuerint. Quod quidem institutum Leges condendi, ex quo in Christianam Rempublicam introductum, mirum, quantum apud omnes floruerit, & quantum dejectis, & fere perditis rebus attulerit auxilii: nam, exortis, & grassantibus variis erroribus, & Haeresibus in Ecclesia Dei, adversantibus Dogmatibus Chri-

Chriſtianae Religionis, eamque magnopere infeſtantibus ita, ut Petri navicula, diverſis acta ventis pene mergeretur, niſi Viri eximii, prima Eccleſiae Luminaria coacta Synodo illam periculo educerent remis Sapientiae, ac Sanctitatis viribus, & victricem redderent. Quinimmo Majores Noſtri ſapientia, & ſanctitate praediti, pro tempore Eccleſiae gubernacula tenentes in ſummis Chriſtianae Reipublicae periculis inventum optimum, & opportunum excogitavere, nempe Concilia convocavere: Sicuti celebrata fuere Nicoenum, Epheſinum, Conſtantinopolitanum, Lateranenſe, Florentinum, ac alia, & noviſſime Tridentinum, quorum vi Haereſum audacia repreſſa fuit. Quapropter, licet impraeſentiarum Orthodoxa Eccleſia Dei Magna gaudeat tranquillitate, & nulla ſit manifeſta Haereticorum perfidia, & iniquitate vexata, dedecet tamen Praeſules, & animarum Paſtores, oblectamentis deſidiae indulgendo, curam gregis in tranquillitate deſerere, quum teneantur illum verbo, & exemplo, necnon ſalutaribus monitis, ne inimicus homo, pravis artibus inſidias moliendo, & execrabilium errorum zizania ſeminando, illum devoret. Hinc nihil in Eccleſia Dei conducibilius excogitari potuit pro animarum ſalute, vitiorumque extirpatione, quam Synodum Dioeceſanam celebrare, in qua de rerum omnium negotiis, & maxime de Moribus corrigendis, ac moderandis, Cleri Diſciplina confirmanda, & de iis omnibus, quae Paſtorali cura incumbunt, agi poſſit. Idcirco talis Synodi coactio fuit a Sacris Canonibus praeſcripta, & a Concilio Tridentino (*a*) iterum praecepta, immo ab Alexandro VII. Summo Pontifice in ſua Conſtitutione (*b*) inculcata; ubi alloquens Epiſcopos Italiae, & Inſularum adjacentium, haec habet: *Perſuaſiſſimum Vobis eſſe non dubitamus, nihil, frequenti animarum recognitione, Synodorum celebratione, Populorum ſaluti, ac veteri Diſciplinae conſtituendae, nihil Catholicorum*

(a) *Seſſ.* 24. *de Reform. cap.* 2.
(b) *XX.* §. 8. *tom.* 6. *Bullar. Rom. pag.* 35.

rum Principum paci a Deo impetrandae accomodatius esse ; qua intermisso, magna in moribus continuo ad omnem improbitatem, ac peccandi licentiam facta est immutatio.

Etenim quum ita vel naturae, vel temporum vitio comparatum sit, ut quem initia rerum ardorem animus exceperit, eumdem, aut remittat paullatim, aut extinguat omnino; multo id enim in pietatis, ac sanctimoniae vi relaxanda, & accidere saepius, & usuvenire facilius experimur: ea propter, nisi sanctissimis identidem reparentur inducïis, fiet ut Religionis igniculi in omnium mentibus penitus extinguantur. Quodnam igitur umquam potuit aut certius, aut potentius languenti pietati remedium adhiberi, quam in Comitiis, in foro sanctitatis, atque sapientiae de Moribus, de veteri Disciplina, de Legibus, aut Institutis vel innovandis, vel inferendis, praestantium Virorum consilio decerni? Et profecto hujusmodi quidem Consessuum utilitatem facile erit ostendere, si velimus praeteritorum annorum memoriam in medium adducere: namque, ut primum ipsa tanta rei incunabula indagemus, quis est tam inscius rerum divinarum, quem lateat, illos ipsos Christianae Religionis Auctores, ac Patres duodenos, inquam, illos Evangelicae Sanctimoniae Proceres coepisse olim, divini Numinis adflatu, hos inter se coetus habere, atque hunc cogendi Senatus morem instituisse, quum dissentientibus inter sese Hebraicae, Ethnicaeque gentis jam in Christo renatae primoribus de antiquae Legis ritibus servandis, tunc primo Christianae Reipublicae Sanctiones, & Decreta magno cum omnium commodo in publicum prodiere. Ex hoc igitur quasi integerrimo fonte comitia fluxere illa, quae omni tempore habita, deinceps & ad haec usque nostra ducta esse cernimus, ut in omnium consequentium aetatum ambitum dilabantur.

Hinc sicuti elapsis retrosaeculis ad reprimendam Haeresum audaciam, Nicoeni, Constantinopolitani, Lateranensis, & Triden-

dentini Senatus atque Conseſſus habiti ſunt: ita pariter, ut collabenti morum diſciplinae poſſimus occurrere, ſapienti ſane conſilio Provinciales, & Dioeceſani Conventus haberi aſſolent, qui quidem, licet non tam ſe late diffundant, ſed ſpatiis brevioribus circumſcribantur; tamen non raro commoda inde non minora habentur, ac fructus (pene dixerim) exiſtit uberior. Et licet Conventus illi Generales ſint cultu ac veneratione digniores, in quibus praeclariſſima Chriſtianae Reipublicae lumina frequenter conveniunt, ut publicis neceſſitatibus obviam eant; Dioeceſani tamen uberiorem pene ſeu praeſtantiorem colligunt ſegetem, ut firmiſſimum collabentis Diſciplinae munimen mereantur nuncupari; in quibus ſi quid vetuſtate corruptum, ſi quid temporum injuria deperditum, ſi quid naturae vitio depravatum, ſi quid humana imbecillitate vitiatum, erigitur, innovatur, integritati redditur, ac priſtinae dignitati reſtituitur. Ceterum quemadmodum Synodicis Legibus praeclaro ſplendore augentur Dioeceſes, & condecorantur, ſic Eccleſiarum Miniſtri nuptiale indumentum non habentes, ut pote ſtola characteris prima exuti, candida quidem, & decora veſte, nullis Saeculi notis redolente induuntur: nam Legum Eccleſiaſticarum ſanctitas, & excellentia in Synodis maxime fulget earumque auctoritas in evellendis abuſibus, & vitiorum vepribus extirpandis, ac in reſtauranda Eccleſiae Diſciplina ſolicitam operam, & curam impendit. Synodorum enim celebratio praecipua agri Dominici cultura eſt; quia vepres, ſpinas, ac tribulos extirpat, deformata reformat, et vineam Domini ad frugem uberrimae fertilitatis adducit. Siquidem in Synodis redintegratur unitas (uti Colonienſis Concilii Patres teſtantur (a), ſtudetur Corpori in ſua integritate conſervando, ubi ea, quae in viſitatione non dabatur exequi, executionem ſtudiis communibus aſſequuntur; ubi de Fide,

&

(a) *An.* 1549. *tit. de Synod. celebr.*

& Pietate, de Religione, & Cultu Divino, de Moribus, & Disciplina, de Obedientia, de Judiciis, & rebus omnibus ad bene, Christianeque vivendum accomodatis, tractatur, atque statuitur; ut verissime in reformationis formula dicatur: *Salus Ecclesiae, terror hostium ejus, & Fidei Catholicae stabilimentum sunt Synodi*: Quas etiam corporis Ecclesiae nervos dixerimus; iis siquidem neglectis non aliter Ecclesiasticus Ordo diffluit, quam si nervis humanum corpus solvatur. Quadere S. Carolus Borromaeus Mediolanensis Archiepiscopus ac S.R.E. Cardinalis, etsi Dioecesim, peragrando, commissi sibi Gregis indolem, & mores exploraret, nihilominus Dioecesanas Synodos celebrare nunquam omisit, & in Concione habita ad Clerum in sua Synodo (*a*), haec de Synodi utilitate dixit: *Est generalis quaedam Visitatio Synodus; alias enim per annum particulares quasdam Ecclesias dumtaxat visitamus; hic vero generatim Sacerdotes omnes, & Clericos, ac in ipsis suo etiam modo Populos eis commissos*. Et ideo hujusmodi salutaris Conciliorum coactio tantopere in Sacris Literis commendata, ad haec usque tempora ab universali Ecclesia, Primatibus, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis exculta, ut exundantibus vitiis, cultosque Ecclesiae campos vastare nitentibus firmissimis Sanctarum Legum aggeribus occurratur. Unde non immerito immortalis memoriae Benedictus XIV. Pontifex Maximus (*b*) apertissime pronunciavit, Dioecesanam Synodum validum esse fulcimentum ad nutantem in Dioecesi Disciplinam sustinendam.

Hanc autem utilitatem, quam Ecclesiae Dei affert Dioecesanus Conventus, animo perpendens Archipraesul Noster, qui esto salutaribus Edictis, ac monitis Oves suas abberrantes, & ad noxia pascua divertentes, ad meliorem frugem redigere assidue, & sine intermissione studuerit; quia tamen est zelo in

I Dei

(a) *XI. part 7. Act. Mediol. Eccl.*

(b) *In tract. de Syn. Dioec. cap. 2. §. 4.*

Dei gloria promovenda flagrantissimus, laboribus, solicitudinibus, incommodis posthabitis, obtemperando saluberrimae Ecclesiae institutioni, Apostolica Traditione, & Sacrosanctis Oecumenicis Conciliis commendatae, decimo tertio Sui Archipraesulatus jam recurrente anno, feliciter regnantibus SS.Domino Nostro Papa Clemente XIV., & invictissimo Rege Nostro Ferdinando IV., Sinodum Dioecesanam congregare est aggressus, primamque Sessionem jam habuit sub die 27. elapsi Mensis Junii, qua expleta, sapienti quidem judicio, alias Sessiones indixit, & celebrare statuit sub diebus 29. & 30. currentis Mensis Novembris, D. O. M. dicatis, in honorem Divi Andreae Apostoli hujusce Metropoleos, Dioecesesque principalis Patroni, ut intercessione, & meritis ejusdem inclyti Apostoli, cujus Sacra Ossa in hac Metropolitana Ecclesia reposita feliciter requiescunt, dignetur Dominus aures vestras adaperire ad audiendam toto corde vocem sermonum ejus.

Noluit tamen Noster Archipraesul hunc Synodalem Conventum habere ante, quam Sanctarum Visitationum occasione tam de Personis singulis, quam de rebus omnibus ad hujus Ecclesiae splendorem, & sanctitatem facientibus, ea auribus, & oculis suis perciperet, ac veluti manibus contrectaret, quae promovenda, vel removenda forent, quaeque amplectenda proponi, & utiliter disponi possent, sive fugienda, & evitanda salubriter praecipi deberent. Quapropter post perlustratam pluribus, atque oculatissimis Visitationibus suam Archidioecesim, tandem haec Sacra Comitia indixit, ut ope Dei, atque auxilio fretus cōmuni studio, ac consilio, statuere possit ea, quae ad animarum salutem, Clerique disciplinam, nec non Divini cultus incrementum, totiusque Dioecesis reformationem, & regimen pertinent.

Quamobrem, Venerandi Sacerdotes, hilares estote; nam benignum, justum & irreprehensibilem Pastorem habetis, qui

va-

veſtris compatitur infirmitatibus, & Synodalia iſta florentiſſima Comitia indixit dumtaxat, ut Conſtitutiones conderet, & Leges pro veſtro bono regimine, & pro Gregis ſibi concrediti ſalute, neve caula ſibimet adeo chara teterrimis lupi tartarei dentibus conteratur. In hac enim totus eſt ſolicitudine, paratus quaecumque ſubire incommoda, ſubire diſcrimina. Et Vos experimento comprobaſtis; nam ex quo ad hanc regendam Eccleſiam evectus fuit, nihil egit, quod non fuit uſqequaque ſanctum, quod non fuit ſumma cum laude conjunctum, & jugum, quod imponit, jugum ſuave eſt, onuſque leve. Et ſic me Deus adjuvet, quae mens, quis animus in hac Synodo congerenda fuit noſtri prudentiſſimi, ac vigilantiſſimi Paſtoris, & Legislatoris, niſi mores corrigere, diſciplinam eccleſiaſticam inſtaurare, vegetiorem in nobis caritatis ſpiritum inducere, & augere? Ut in Cultu Religio, in Eccleſiis nitor, in omnium animis effloreſceret Pietas. Immo, & vos Archipraeſulem veſtrum compatiamini eſt neceſſum; nam onus, quod ſuſcepit eſt Angelicis humeris formidandum: Ipſemet namque pro animabus Veſtris rationem eſt redditurus, & judicium duriſſimum fiet his, qui praeſunt ſi non profunt, Deus enim de eorum manibus ſanguinem ovium ſuarum requiret. Ideoque ab initio ſui Archipraeſulatus memor Apoſtolici Oraculi (a). *Attendite vobis, & univerſo Gregi in quo Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei, quam acquiſivit ſanguine ſuo*. Nihil intentius perpendere, nihilque perficere curavit, quam ea, quae ad Animarum ſalutem, & Divini Cultus augumentum profigua, & neceſſaria eſſe cognovit. Per tredecim annorum curriculum majori, qua potuit, ſolicitudine, & cura conatus eſt coram Deo, & hominibus ea providere quae ad talem finem ſummopere conducere poſſent. Laboribus, & vigiliis non pepercit, apud Altiſſimum pariter humiles fundere preces neutiquam deſiit, ut iis

I 2 modis

(a) *In Act. Apoſt. cap. 20. verſ. 28.*

modis, & mediis nos uti largiretur, quae ad eumdem finem consequendum magis efficacia, magisque opportuna forent. In Eo, veluti in compendio, omnium virtutum species, et Providentiae, & Vigilantiae opera collucent, quemque omnes suspicere debemus Doctrina eruditissimum, Ingenio perspicacissimum, Pietate religiosissimum, Vita innocentissimum, ut merito Praesulum norma, & Praelatorum Antesignanus appellari possit; & munificentissimum in pauperes, Christianaque largitate adeo clarum, ut digne Pater pauperum nuncupari queat. Ipse enim totius Dioeceseos necessitates intra viscera gestans, quum plurimum de communi salute excogitarit, de propriis commodis multa subtrahens, & in publicam utilitatem convertens, Synodalia ista Comitia indixit, in quibus sancitas a se Constitutiones pro vestro bono Regimine ad Vos, Venerandi Sacerdotes, dirigit exequendas; frustra enim summo labore conditae forent, nisi per vestram Vigilantiam executioni demandarentur, & in praxim adducerentur. Synodales istae Constitutiones Leges mutae sunt, manus non habent, neque pedes, vestro igitur ore promulgandae, & opere exequendae erunt; & postquam fuerint promulgatae, observationi illarum obnixe invigilare debetis; sic enim agendo Vosmetipsos, & oves vobis concreditas ad aeterna virentia Paradisi pascua dirigetis.

Tandem, Praestantissimi, & Venerandi Patres, in isto Sacro Senatu considentes, utpote in Domini sortem vocati, Altarisque mancipati ministerio, Vos tamquam lucernae *(a)* ardentes super candelabrum, aliis verbo, & exemplo in hujus saeculi caligine praefulgere debetis, quum nihil sit, quod alios magis *(b)* ad pietatem, atque Dei cultum assidue instituat, quam eorum vita, & exemplum, qui se Divino ministerio dedicarunt. Vosque etiam atque etiam in Domino ob-

(a) *Ex Matth.* 5. *v.* 15.
(b) *Trid. Sess.* 22. *de Reform. cap.* 1.

obſecro & obteſtor, ut Synodales haſce conſtitutiones hilari libenti, ac pacato animo recipiatis, & quo maxime poteſtis ſtudio, inviolate obſervetis non metu poenarum ducti, ſed virtutis amore, ac vera charitate erga Deum, & animas veſtras, pro quarum curatione principaliter ſunt exaratae, ut in labore ſuo ex operibus veſtris gloriari, queat meritiſſimus Archipreſul Noſter, & poſt brevem hujus aevi curriculum, Divina ſuffragante Miſericordia, in Coeleſti Patria vobiſcum ſempiterna gloria perfruatur. Eja ergo fervidas vos pariter pro eodem Illuſtriſſimo Domino preces Deo effundite ut donis Coeleſtibus impleatur, ejuſque verbo, & exemplo commiſſus ſibi Populus Spiritualibus proficiat incrementis, & ab Omnipotenti Deo de rore Coeli, ac de pinguedine Terrae benedictionem recipiat ſempiternam. Nec Egometipſe pro Te, Illuſtriſſime Archipraeſul omittam Altiſſimum exorare, ut bono publico, cui ab unguiculis natus es, diutiſſime Te ſervet, ac in Purpuratorum Patrum Collegium, Divina ſua Miſeratione, cooptare dignetur . . . Tu interim,Glorioſiſſima Virgo Maria boni Conſilii, cujus Patrocinio fovemur, vires ſuffice pares, ut poſſimus Nos cuncti quibuſcumque penſis, ac oneribus, juſſis ac mandatis impigre, alacriter, adunguem reſpondere, moremque gerere. Tu Noſter Protector S. Andrea, cujus Feſtum colimus praeſta robur, fer auxilium, & fac, ut munia, quae Chriſtus, & Eccleſia Nobis injunxerunt, opere perfecte impleamus.

SES-

SESSIO II.

De Recta Sacramentorum administratione, & susceptione.

QUoniam sacramenta, teste Augustino, ex (a) latere Christi pendentis in Cruce, ut nostrarum infirmitatum remedia, & Dei erga homines amoris pignora, mysteriose fluxerunt; jure proinde merito totam a nobis requirunt diligentiam, & venerationem; illorumque vindices esse debemus. Quum vero ex iis, quae ad rectam Sacramentorum administrationem, & susceptionem spectant, alia in communi, & alia in specie considerari possunt, ideoque primum de illis in genere, deinde de eisdem in specie, agendum erit. Sit itaque

CAP. I.

De Sacramentis in Genere.

I. QUum Sancta sancte, & religiose tractanda, & ministranda sint, omnes quibus incumbit in Domino hortamur, eisque praecipimus, ut nisi culpa expertes, & proprii sint Sacramentorum Ministri, ad illa tractanda, & ministranda minime accedant.

II. Quilibet diligens Sacramentorum Minister ante omnia ad eorum constitutiva, nempe materiam, formam, & intentionem sedulo animadvertat, ne sacrilegii, & Divinarum rerum irrisionis periculo se exponat; nam, ut advertit S. Augustinus: *graviter peccat in rebus ad animarum salutem spectantibus, qui solummodo certis incerta praeponit*. Et meminerit proinde ab Innocentio XI. proscriptam fuisse propositionem (b): *Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinio-*

(a) *de Civit. Dei l. 20. cap. 25.*
(b) *Propos. 1. ex damnat. ab Innocent. XI.*

nionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiori, nisi id vetet Lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi.

III. Sacramentorum Minister, non modo ab essentiali tam materiae, quam formae, sed etiam ab omni accidentali caveat mutatione; adeoque nihil iis, quae Sancta Mater Ecclesia circa Sacramentorum administrationem instituit, addere, mutare, vel imminuere; & ut facilius, & securius in hac procedatur materia, praecipimus omnibus animarum curam gerentibus, ut apud se semper, & omnino habeant Rituale Romanum SS. Domini Paulli Papae V. jussu editum.

IV. Porro Sacramenta, & Sacramentalia tutis, & congruis asserventur locis, & eorum claves diligentissime a Paroecis per se, vel per alium Sacerdotem, custodiantur; & nunquam in Laicorum, praesertim mulierum manibus, eas manere patiantur.

V. In Sacramentorum vero Administrationem superpelliceo, & stola congruentis coloris semper utatur Minister; & a Ritibus, & a Sacris Caeremoniis ab Ecclesia institutis minime declinet.

VI. Et ne Sacramenta, & Sacramentalia, quae ad animarum salutem instituta sunt, in earum perniciem convertantur, omnibus, & singulis Curatis mandamus, ut sedulo incumbant, ne Sacramenta, & Sacramentalia quovis praetextu in alios adhibeantur usus, quam in eos, ad quos Christus Dominus instituit, & Sancta Mater Ecclesia semper retinuit.

VII. Nunquam satis officio suo Paroecum fecisse putandum est, nisi per quam frequentissime ad Populum habeat concionem de dispositionibus illis, quae ad rectam, & uberem Sacramentorum susceptionem pertineant: Explanando scilicet eorum institutionem, numerum, dignitatem, uniuscujusque virtutem, valorem, & efficaciam, ut in iis, qui audiunt, fides excitetur, & ad eadem recipienda amor, & ardor augeatur.

VIII.

VIII. Gratiſſimum itaque Nobis foret, ſi data occaſione, Baptiſmum die feſto adminiſtrandi, ejus efficaciam Curatus populo explanaret, & quemadmodum ex filiis irae, & gehennae per Baptiſmum rite collatum filii Dei efficiantur. Et ubi adminiſtrandi Sacramenti Confirmationis tempus accideret, praeter ea, quae ad hoc Sacramentum ſuſcipiendum neceſſaria ſunt, de Spiritus Sancti Chariſmatis, quae per id Sacramentum conferuntur diſſerat ſaepius, populumque informet. Quando vero Fideles ad Sacramentum Poenitentiae, & Euchariſtiae frequentiores fuerint, abs re non erit, illos admonere de partibus eſſentialibus, cordis nempe contritione, oris confeſſione, & operis ſatisfactione, de occaſionum fuga; de reſtitutione, pernicioſo in eadem peccata relapſu, ceteriſque ad poenitentiam ſpectantibus; ſimiliter de fide, caritate, puritate, humilitate, & deſiderio, quibus praediti ſint oportet, qui ad Coenam Agni accedunt ſermonem inſtituere haud incongruum putamus. In Extremae Unctionis Sacramento pariter moneantur liniendi (ſi mortis periculum haud immineat) de virtute, & efficacia hujuſce Sacramenti, adſtanteſque advertat Miniſter, ut antequam ſenſibus deſtituantur, ſponte hoc Sacramento muniri petant, ne cum Doemone in extremo agone luctantes, ſuccumbant. Nec Paroeci ſui inſtituti non eſſe arbitrentur de Ordinis Sacramento loqui; quinnimo eos occaſionem aucupari volumus, ut de eo fuſius agant, praecipue proclamationum tempore, vel in prima novi Sacerdotis Miſsae celebratione, ut erga Sacerdotes Populi ſint reverentiores, & quaenam ex eiſdem Sacris Miniſtris populo commoda proficiſcantur. In Sacramento denique Matrimonii, quod magnum vocat Apoſtolus, perutile erit ſi quodam die feſto ſponſis benedicendo ad populum habeat ſtrenuam concionem tum de bonis Matrimonii, tum etiam de prolis educatione, in qua qui parens deliquerit non leve perpatrabit piaculum, &

quod

quod ſtrictius cum eo in Divino judicio agetur, ſciat.

IX. Nullus praeterea ad Sacramenta recipienda admittatur, qui veſtitu moderato, omnique alia ratione, debitum Religionis cultum extrinſecus etiam non praeſeferat, arma vero erunt omnino a quolibet in Sacramentorum ſuſceptione deponenda, quod etiam praeſtare volumus omnes, qui ad Baptiſmum, vel confirmationem Patrini, & Compatres adhibeantur.

X. Sciant inſuper cuncti, Baptiſmi, Confirmationis, & Ordinis Sacramenta juxta conſtantem Eccleſiae doctrinam, ſine ſacrilegio iterari non poſſe, & id frequenter populos docere Parochi non praetermittant, ne quiſquam in hunc errorem reiterationis incidere poſſit.

XI. Denique pro Sacramentorum Adminiſtratione Parochi, vel Curati nihil pecuniae, vel alterius rei penitus excipiant quacunque de cauſſa, etiam donationis titulo, & ſi ſecus facere auſi fuerint arbitrio noſtro ſeveriſſime punientur.

C A P. II.

De Baptiſmi Sacramento.

I. QUum omnium Sacramentorum janua ſit Baptiſmus, & ad aeternam ſalutem omnino neceſſarius, ipſo clamante Divino Magiſtro (a): *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt introire in Regnum Dei*; ſciant quotquot animarum curam ſuſceperunt, gregem ſuum monere, ut nulla interpoſita mora, prolem ad regenerationis lavacrum mittant, & mortis pericula, quibus infantes ſolent eſſe obnoxii, cum aeternae vitae impendio, tuti effugiant.

II. Volumus igitur, ut nullus, cui proprius baptizandi

K Cu-

(a) *Joh.* 3.

Curatus restiterit, aliquem sacris linphis tingere solemni ritu praesumat, sub poenis arbitrio nostro infligendis; quas tamen dubio procul evadet si proprius Parochus negligens fuerit, vel mortis discrimen intervenerit.

III. Baptizandorum parentes juxta uberes Sancti Caroli Instructiones (a) admoneantur, ut filiis suis Sanctorum potius quam Ethnicorum nomina imponantur, ut paullatim erga Sanctos, quorum nominibus appellantur devotione, ac pietate affecti eorum fruantur patrocinio, atque tutela.

IV. Quum sciant Parochi solam aquam naturalem esse hujus Sacramenti debitam materiam; adeoque si quis aqua non naturali baptizatus esset, denuo baptizandus erit. Aqua vero infans abluatur, vel in eam caput infantis immergatur, aut saltem per aspersionem ea pars abluatur, quae nobilior haberi poterit: dum vero ablutio fiat, curandum ut forma cum materia physice, vel saltem moraliter conjungatur.

V. Quando acciderit infantulum Domi ab obstetrice, vel alia persona baptizari, eam Parochus diligenter interrogabit, an legitimam materiam, integram formam, rectamque intentionem adhibuerit. Si de actus validitate certus sit solum caeremonias juxta Ritualis Romani praescriptum religiose suppleat; sin autem de ejus valore haesitaverit, baptismum sub conditione repetat, & obstetrices de his accurate informet, ut in similibus occasionibus errores hujusmodi non committant.

VI. Si infantes expositos reperiri contingerit, tunc absque conditione baptizentur, quando apud ipsos nulla suscepti Baptismi schedula reperiatur; ubi vero ex comperta schedula eruatur infantem baptizatum fuisse, quia prudenter dubitatur de ejus validitate, iterum sub conditione obluendus erit, & nomen in eadem syngrapha notatum eidem imponatur.

VII.

(a) *Act. Medin. Ecc. part. 4. de Bap.*

VII. Nullibi, nisi in Ecclesia, Paroeciali Baptismus administretur sine Nostra, vel Nostri Vicarii licentia, excepto vero necessitatis casu; parentes vero, & Parochi procurent, ut quam primum infans in Ecclesiam ad Baptismum suscipiendum deferatur.

VIII. In necessitatis casu quilibet sive vir, sive mulier, sive fidelis, sive infidelis, Minister hujusce Sacramenti esse potest; cavendum tamen quod minus digno praesens dignior praeferendus erit. Hinc si adsit Sacerdos non Sacerdoti praeferatur, Diaconus aliis Clericis inferioris Ordinis, nisi minus dignus magis idoneus sit, atque aptior. Vir mulieri praeferatur, modo non sit parens baptizandi, quia tunc ad synterniae crimen evitandum mulieri non praeferatur, nec unquam baptizare poterit, nisi in solo necessitatis casu.

IX. In Baptismatis Sacramento non sit nisi unus, vel ad summum duo, vir unus, & mulier altera patrini: inter quos & Baptizatum ipsum, illiusque Patrem, & Matrem, necnon inter Baptizantem, & Baptizatum, Baptizatique Patrem, & Matrem tantum spiritualem cognationem contrahi sciant.

X. Excommunicatus, interdictus, ille qui Confirmationis Sacramentum non dum susceperit, & qui orationem Dominicam, salutationem Angelicam, Apostolorum Symbolum, & Decalogi praecepta nesciverit, ad levandum aliquem de Sacro fonte Baptismi, nullatenus admittatur. Item Sacerdotes, Diaconi, vel quilibet Clericus etiam sola initiatus prima Tonsura, uti etiam Monachus, vel Religiosus quicunque tam in Sacramento Baptismi, quam in Sacramento Confirmationis Patrini esse non audeant sine expressa Nostri licentia, sub poenis arbitrio nostro infligendis (a).

XI. Parochi sollicitudinis esse existimamus, ut quoad fieri poterit, foetus in defunctae Matris utero clausus, festinata sectione, baptizetur, ne salutari expers lavacro aeternae

(a) *Can. Non licet tot cum seq. de Consacr. dist. 4. S. Carolus instruct. Bapt.*

Gloriae felicitatem amittat. Neque levis imminet ultio in eos, qui maximam spiritualem proximi neglexerint necessitatem, ex qua illi aeternum paratur exitium.

XII. Fons Baptismalis ex aere fit, vel marmore, & suo operculo, ad pulverem & araneas arcendas, bene clausus, & contectus: fit pariter apud ipsum fontem Baptismi Redemtoris, & Sancti Joannis Baptistae Jesum baptizantis imago: eritque simul inibi armariolum etiam obseratum, in quo serventur pelvis cum cochleari, sal, sabana, sive extersoria, cereus, vestis candida, qua baptizati caput, & humeri contegantur, & sacra olea in vasis argenteis si fieri poterit, vel saltem stamneis perpolitis observentur, nullo modo cretaceis, vel vitreis, quae si forte essent, sub poenis arbitrio nostro prohibemus; claves vero Baptisterii Paroecus, vel ejus a Nobis scripto probatus Oeconomus, sive Adjutor fideliter custodiant, & semper penes se habeant, & nunquam apud laicos, vel mulieres esse sinant.

XIII. Puerpera quum primum convaluerit gratias Deo habitura, atque a Sacerdote de more benedicenda se ad Ecclesiam conferat. Quod benedicendi munus, Parochus, cujus proprium est exercere, non omittat, nec puerperam alienae Paroeciae scienter audeat benedicere, et illam ad suum remittat Paroecum sub poenis arbitrio nostro reservatis.

XIV. Precipuae quoque partes Parochi erunt in libro bene compacto singulos describere Baptismos ab ipso, vel a quocunque alio Sacerdote, eo annuente, collatos: cum adnotatione diei, mensis, anni, nominis, & aliorum, quae in Rubricis Ritualis Romani praescribuntur, & hic liber Baptizatorum una cum ceteris Parochialibus libris domi penes Paroecum caute custodiendus erit; in armario vero Baptisterium juxta, alium habeat Parochus libereulum, in quo continuo ab Administrante Baptismum res acta describatur, ne memoria praetereat quod factum est (a).

XV.

(a) *Can. quicumque de Consecr. dist. 4.*

XV. Paroecus, vel quilibet Curatus cujus culpa, vel negligentia factum sit, ut puer sibi ad baptizandum oblatus sine hoc regenerationis salutari lavacro decesserit, saevere, & graviter pro modo culpae punietur.

C A P. III.

De Sacramento Confirmationis.

I. SIcut Christianae militiae per tesseram Baptismi adscribimur, Christique milites signamur; ita per Sacrae Confirmationis clypeum ad Fidem in pectoribus nostris confirmandam, munimur & roboramur. Omnes igitur ex aqua, & Spiritu Sancto renati per manus impositionem (a) Paracletum accipiunt, ut Filii Dei, & milites fortes vocentur, & sint; & quemadmodum Spiritus Sanctus, qui super aquas Baptismi salutifero descendens lapsu in Baptismo plenitudinem tribuit ad innocentiam, sic in Confirmatione augumentum praestat ad Gratiam.

II. Quum igitur Spiritus Sancti plenitudo hoc Sacramento juxta (b) Sanctum Thomam ad spirituale robur detur, & per hanc Unctionem luctantes adversus Diabolum, ut S. Augustinus ait, nonnisi reprehensibilis negligentiae rei habendi sint, qui sacro egressi Lavacro, Sacram neglexerint Unctionem. Omnis itaque Curatus, ut supra de Sacramentis in genere agentes, decrevimus, Sacrae Confirmationis adveniente tempore non semel, sed iterum atque iterum suos hortetur Parochianos, ut ad eam se praeparent, atque disponant. Atqui materialis solum erit praeparatio si Sacramenti Dignitas, & virtus plebis oculis non subjiciatur opportuna sermonum instructione, quorum magnam suppellectilem ex Patribus, & Ca-

(a) *Cap.* 1. & 5. *de consecrat. dist.* 5.
(b) 2. 2. *quaest.* 6. *de Sacr. Confirm.*

Cathechismo Romano (a) sibi comparabit. Etenim ubi pueri, & puellae eorumque parentes Sacramenti excellentiam perspexerint, dubio procul exoptabunt, enixisque precibus petent, accipientque.

III. Praemissa ergo frequenti Cathechesi per quam Fideles Sacramenti valorem intellexerint, quisque Parochus cum Presbyterorum suorum adjumento pueris, & puellis, qui septennium saltem expleverint, & quos sacrae Unctionis idoneos, atque de ea sufficienter instructos repererint, singulis singulam schedulam tradat, in quibus erit confimandi nomen, & cognomen ejusque parentum, & susceptoris, cui Parochus ipse, vel Curatus subscribat; & quum coram Pontifice initiandi se praesentent illas exhibeant, quas Curatus cum ceteris in fasciculo colligabit, & deinde in proprio confirmatorum libro ad futuram memoriam cum notatione diei, Mensis, & anni, nominisque confirmantis, ea omnia transcribat.

IV. Quum vero non raro accidat ad hujusmodi excipiendum Sacramentum aetate adultos accedere, studeat Parochus eorum justificationi, adeoque Confessionem Sacramentalem, & Eucharistiae sumtionem, si fieri poterit, injungat, & praecipiat, ut majori cum dispositione, & fructu illud recipiant. Sic igitur ad hoc Sacramentum Fideles accedant tanquam sumentes scutum Fidei, & galeam salutis, & gladium spiritus, in quo possint omnia tela nequissimi extinguere (b).

V. Hortetur insuper Curatus quod uno eodemque die plures quam duos non potest Laicus ad hoc Sacramentum praesentare. Prohibetur etiam facere hoc excommunicatus, vel alia innodatus censura, & qui adhuc non sit confirmatus, & Fidei rudimentorum sit ignarus. Instruat etiam Curatus

(a) *Cath. Rom. de Sac. Conf.*
(b) *Ephes. 16. v. 17.*

ratus Patrinos quomodo ante Pontificem pueros confirmandos sistere, & levare debeant.

VI. Moneant praeterea suos subditos Paraeci, spiritualem cognationem inter levantem, & levatum, illiusque Patrem, & Matrem, nec non inter confirmantem, & confirmatum, & illius Patrem, & Matrem per Confirmationis Sacramentum oriri; inter quos impedit Matrimonium contrahendum, & dirimit postea contractum: ideoque caveant etiam parentes suos filios in Confirmatione suscipere, ne spiritualis cognationis inter eos impedimentum oboriatur.

VII. Unus tantum in Confirmatione eligatur Patrinus, eritque ejusdem cum eo, qui confirmatur sexus; qui tamen Patrinus, non sit Sacerdos, aut Clericus, aut Regularium quilibet, nec istorum, vel Monialis cujuslibet procurator absque Nostra expressa licentia, uti diximus pariter agentes de Baptismate §. IX.

VIII. Ne Sacramentorum Sanctitas aut turpiter ignorari, aut nefarie contemni videatur, curet quisque Parochus, ne quis, & praesertim mulieres, & puellae (prout opera inimici corruptela invaluit) saeculi luxu, & procaci corporis cultu, ac Satanae pompis affluentes, quibus in Baptismo renunciarunt, ad hoc Sacramentum suscipiendum accedant, illasque repellendas esse decernimus, sive confirmandae sint, sive Matrinae.

IX. Septennio minores ad hoc admitti Sacramentum nolumus, nisi alicui, aliqua de caussa nobis cognita, indulgendum duxerimus: nec quisquam ultra decimum quintum suae aetatis annum illud differat, ne tot Spiritus Sancti charismatis se privet, vel grandior effectus prae pudore, vel oblivione absque confirmatione ex hac vita decesserit.

X. Paroecus sive Sacerdos priusquam confirmatus ab Ecclesia discedat (qui discedere non debet nisi peracta functione, & pontificali accepta benedictione) de ejus fronte *bombyce* cha-

charifma tergat, & vitta alba ejus frontem circum liget, quam per aliquot ferre debet dies.

C A P. IV.

De Sacramento Poenitentiae, & casuum Reservatione.

I. QUot quot in hunc mundum intramus, in altitudinem maris venimus, & duplex tempeftas fere femper demergit nos (*a*): alteram originale, alteram actuale excitat peccatum: nec quifquam ab hoc profundo nos eripere valeret nifi Domino miferante dimiffa prima tabula, cui inhaeremus per fecundam a naufragio liberati in fecuritatis portum veheremur. Qua de re non immerito Pęnitentiae Sacramentum fecundae tabulae nomine nuncuparunt Sancti Patres (*b*), cujus remota materia peccata funt poft Baptifmum commiffa, proxima vero poenitentis actus, cordis nempe contritio, oris confeffio, & operis fatisfactio (*c*): forma funt verba abfolutionis a legitimo miniftro prolata, fcilicet a Sacerdote, qui fit Paroecus, vel per Ordinarium ad audiendas confeffiones adprobatus five etiam non adprobatus, fed in eo tantum cafu, quo poenitenti in mortis periculo conftituto hoc miniftret Sacramentum.

II. Quanta in hujus faluberrimi Sacramenti Miniftro diligentia, probitas, prudentia, et fcientia requiratur unufquifque vel ex eo folum percipere poteft, quod Patris, Medici, Doctoris, et Judicis officia in hoc Poenitentiae foro exercere teneatur. Omnes igitur in Domino hortamur Confeffarios, ut Ethicae, five non corruptae moralis libros penes fe habeant, illifque fummis ftudeant viribus, et antequam ad audiendas fe exponant confeffiones, breves preces pro fe, et pro confitentium falute humiliter Deo luminum datori effundant. III.

(a) *Pfalm.* 68.
(b) *Cap.* 2. *de Poenit. dift.* 1.
(c) *Conc. Trid. Seff.* 14. *cap.* 7.

III. Nullus igitur in hac Noſtra Dioeceſi confeſſiones audire praeſumat, niſi a Nobis vel Vicario Noſtro Generali examinatus, et adprobatus, licentiam obtinuerit. Et ad hoc munus exercendum non admittatur, niſi qui ſit vitae probatae, prudentiae maturae, et trigeſimum tertium compleverit annum, praeſertim quoad mulierum confeſſiones audiendas.

IV. Qui vero in animarum perniciem ſine praefata licentia, ut ſtatuit Concilium Tridentinum (*a*), temere ad audiendas confeſſiones fidelium ſe expoſuerit, ſive Sacerdos ſit Saecularis, ſive Regularis, ſit ipſo facto excommunicatus juxta decreta Sacrarum Congregationum (*b*), et graves luat ſui reatus poenas, & omni amplius confeſſiones in hac Noſtra Dioeceſi audiendi ſpe careat.

V. Confeſſarii omnes nullibi, quam in Eccleſia mulierum, ac virorum confeſſiones audire audeant, nec poſt ſolis occaſum, nec ante ortum illius, niſi neceſſitatis cauſſa. Sedes vero confeſſionales non in receſſibus, aut cappellis, ſed in propatulo habeantur, et ab utroque latere ferreis, et ligneis cratibus ad piperis menſuram perforatis ſint munitae, ut auditui quidem non viſui aditum praebeant; & a poenitentis parte Chriſti Domini Cruci adfixi Imaginem pie expreſſam habeant: a parte vero Confeſſarii tabellae caſuum reſervatorum; pars autem anterior omnino aperta, verum inferius oſtiolo ſera clavique munitum claudatur, ne Confeſſario abſente Laici homines cum Miniſterii irreverentia ſedeant, vel otioſe ibi dormitent.

VI. Quum multum congruum ſit, ut hoc Sacramentum ea, qua decet, gravitate, et decore adminiſtretur, volumus, et praecipimus, ut nullus Confeſſariorum ad hoc Sacramentum miniſtrandum, praeſertim feminis in Eccleſiis accedat ſine ſuperpelliceo, ſtola violacea, ac bireto Sacerdotali quoad Saeculares Presbyteros, quo vero ad Regulares ſine

L inte-

(a) *Seſſ. 23. de Reform. cap. 15.*
(b) *Sac. Cong. Conc. in Neap. die 14. Apr. 1646. Conſtit. Urb. VIII. cum ſicut 92.*

integro habitu, quem in processionibus, aliisque publicis functionibus gestare solent.

VII. Quicunque etiam tam saecularis, quam regularis Sacerdos ad aegroti confessionem audiendam accesserit, Parocum de audita confessione illico certiorem faciat, ut de ceteris ad salutem spectantibus illi a Parocho provideatur.

VIII. Ex Confessoribus nemo in aliena Paroecia poenitentium confessiones audire praesumat sine Nostra, & localis Curati venia, ne propter hoc jurgia, contentiones, et scandala exoriri contingat (a).

IX. In hoc Sacramento ministrando Sacerdotem, ut potè Judicem Domini, sedere, et non stare fas est, cujuscumque dignitatis, et conditionis existat ille, qui peccata sua confiteatur. Heic vero si Sacerdos, vel Clericus sit confitendus sine sacris vestibus: si vero Laicus sine armis, et scipione: si femina capite velato: omnes demum animi, corporisque compositionem, christianam pietatem, et humilitatem praeseferentes: ad peccata etenim sua expianda lacrymis, non ornatu opus est, inquit Tertullianus (b).

X. Canonicus Poenitentiarius, qui juxta Concilii Tridentini sanctiones eligi debet annorum 40., Magister, Doctor, sive in Theologia, & Jure Canonico licentiatus, aut alias, qui aptior pro loci conditione reperiatur (c), licet jure communi a reservatis absolvere nequeat: attamen Canonico Poenitentiario nostrae Metropolitanae Ecclesiae auctoritatem hujusmodi per seipsum absolvendi a casibus Nobis reservatis impertimur, habita ratione diutinae consuetudinis, qua ipse, et praedecessores ejus in eadem Ecclesia hactenus usos fuisse compertum est. Dum vero in confessionali sede detinetur in choro uti praesens censendus est, et ab aliis functionibus, etiam processionibus, et exequiis, modo in audiendis Confessioni-

(a) *Clemens X. in constit. Superna magni edita anno 1670.*
(b) *In lib. de poenit. Cap. 5.*
(c) *Trid. Sess. 24. cap. 8. de Refor.*

ſionibus occupetur, fructuſque faciat ſuos, atque quotidianas diſtributiones. Ita congregatio Concilii reſolvit in Anagnina 22. Feb. 1620.

XI. Quum a poenitente forte reſtitutio aliqua facienda erit, onus in ſeipſum Confeſſarius minime ſuſcipiat, niſi dilationis periculum aliud ſuadeat, quo caſu quam primum reſtitutionem faciat, atque apocham ab eo, cui reſtituitur, acceptam poenitenti conſignet.

XII. Pro hujus Sacramenti Adminiſtratione nihil omnino recipiatur, ne potius pecuniae, quam animarum lucro, hoc munus Confeſſarii exercere videantur, ideoque rariſſime poenitentias pecuniarias ab eis imponi volumus, et tunc non ſibi, vel Eccleſiae ſuae, ſed aliis Eccleſiis, pauperibus, aut aliis locis piis dari inſinuent: miſſas quoque ſi poenitentibus imponere conduxerint, ad alios Sacerdotes celebrandas remittant ſub poena ſuſpenſionis ipſo facto incurrenda.

XIII. Confeſſarii peccata in confeſſione audita ſigno aliquo, vel verbo neque directe, neque indirecte patefaciant, ſub poena excommunicationis latae ſententiae Nobis reſervatae, et aliis arbitrio Noſtro imponendis.

XIV. Mandamus quoque Paroecis, ut ſuos moneant ſubditos ſaepe ſaepius hoc Sacramentum frequentare; ſcilicet ſaltem ſemel in menſe, et ſolemnioribus diebus feſtis; et Eccleſiae praecepto de annuali confeſſione, et communione quiſque a Dominica Palmarum ad octavam uſque Paſchatis Reſurrectionis Domini incluſive obligatus exiſtat, ſub poenis a Sacris Canonibus, et Conciliis alias ſtatutis.

XV. Quum libera ſit, et voluntaria peccatorum confeſſio volumus, ut nullus regulariter arctetur ad confitendum ſua peccata proprio Paroeco, ſed cuicumque voluerit Confeſſario a Nobis adprobato.

XVI. Praeterea multorum Conciliorum veſtigiis inhaerendo volumus, atque mandamus, quod Curati omnes ſe abſtineant ab audiendis in ſua Paroecia Confeſſionibus a die

 feriae

feriae V. inclusive Hebdomadae Passionis usque et per totam diem Martis Hebdomadae majoris: eosque mandamus accedere ad Paroecias viciniores, ibique omnium confluentium audire confessiones, vel alibi prout a Nobis fuerint destinati, et animarum saluti magis expedire in Domino videbitur: exceptis tamen confessionibus infirmorum, et aliorum impeditorum, pro quibus non intelligantur prohibiti; et ut facilius haec exequantur, et omnibus innotescant, volumus hoc praesens decretum per quemcumque Curatum inter missarum solemnia Dominicae Passionis praecedentis publicari, et omnibus notificari sub poenis Nostro arbitrio reservatis.

XVIII. Tandem monemus, et in Domino hortamur Confessarios omnes, ne propter aliena peccata animas suas aeternae damnationi devoveant, nimiae facilitati indulgentes: qua propter vel omnino denegent, vel differant, quantum pro animarum salute expedire videbitur Sacramentalem absolutionem peccandi consuetudine illigatis, in proxima recidendi occasione constitutis, nefandis criminibus foedatis, obnoxiis restitutioni bonorum, vel famae, si alias confessi restituere neglexerunt, aliisque hujusmodi peccatis innodatis. Hinc propterea Confessarii omnes saepius legant probatos Auctores de morali Theologia tractantes, et nimis laxas opiniones sectari caveant, et Instructiones Sancti Caroli Borromaei pro Confessariis jugiter ob oculos habere non omittant.

DE CASUUM RESERVATIONE.

QUoniam ex Tridentinae Synodi Sancitis (*a*) ad fidelis Populi correctionem atrociorum criminum absolutionem sibi ipsis Ordinariis reservari datum est: Hac de re pro nostra generali cura in Domino expedire existimavimus praeter jurisjurandi, votique commutationem, irregularitatis dispensationem, ac Censurarum majorum absolutiones, quae San-

(a) *Sess.* 14. *cap.* 7., *& Can.* 3. *de poen.*

Sanctae Sedi, & Nobis reservatae sunt, infrascriptos quoque casus reservare, a quibus nemo Confessariorum absolvere, vel dispensare valeat sine speciali Nostri licentia, sub poenis in Constitutionibus Clementis VIII. contentis, aliisque arbitrio Nostro.

CASUS RESERVATI CUM CENSURA.

I. Blasphemantes Deum, ac Beatam Virginem, modo blasphemia sit haereticalis ex animo deliberato, & coram pluribus, quam tribus personis.

II. Superstitiones, veneficia, incantationes cum expressa Doemonum invocatione, aut Sacramentorum, Sacramentalium, vel alterius rei Sacrae abusu.

III. Coeuntes, aut quomodolibet se voluntarie polluentes in Ecclesiis, Caemeteriis, aut aliis Sacris locis.

IV. Vim quomodolibet inferentes intra Ecclesias, vel palatium Archiepiscopale, & alia loca Ecclesiae conjuncta, quae locali gaudent immunitate.

V. Allocutio cum Monialibus, vel quibuscumque aliis intra Claustra degentibus sine Nostra, vel Deputatorum licentia; & adlocutio ad malum finem, vel de rebus obscoenis (etiam si alias habeatur loquendi facultas) ac etiam per intermediam personam, & litterarum ad eas obscoenarum missionem.

CASUS SINE CENSURA ARCHIEPISCOPO RESERVATI.

I. Falsum in Judicio ad damnum tertii deponentes, & scripturas falsantes, vel eis aliquo modo utentes, sive aliquem ad falsum deponendum, vel falsificandum inducentes.

II. Concubinatus publici, sodomia, bestialitas, incestus in primo, vel secundo consanguinitatis, aut affinitatis gradu, & cognationis spiritualis, in quibus masculi tantum compre-

prehendantur ; ſed in primo conſanguinitatis gradu, etiam mulieres : ſtupra violenta, & raptus quicumque.

III. Homicidium voluntarium, & mutilatio, vel de talibus mandatum, auxilium, vel conſilium efficax.

IV. Parentes quomodocumque verberantes.

V. Frequentantes domum Sponſae poſt contracta ſponſalia, cum ſcandalo, & admiratione vicinorum, necnon parentes eandem frequentiam poſt tertiam vicem permittentes.

VI. Brevium armorum geſtatio quoad Clericos tantum, et quoad eoſdem, aleae ludus nuncupatus d' *invito*, di *reſta*, di *Baſſetta*.

VII. Praecepti annuae communionis neglecta ſatisfactio.

VIII. Concubinatus poſt ſolum cohabitationis menſem, & poſt tertium ſine cohabitatione.

IX. Uſura cujuſvis generis.

X. Menſurarum, & ponderum falſitas.

XI. Librorum legitime proſcriptorum lectio, & detentio.

C A P. V.

De Sacramento Euchariſtiae.

I. AUguſtiſſimum, Venerabile, ac Sanctiſſimum Euchariſtiae Sacramentum, noſtrae Sacroſanctae Religionis ſolamen, ac teſſera, omnium Sacramentorum praeſtantiſſimum eſſe nemo eſt, qui inficias ire queat : quippe quod gratiam ipſam totiuſque gratiae fontem Servatorem noſtrum Chriſtum Dominum ſub panis, & vini velamine ineffabili modo pro noſtra, totiuſque Mundi ſalute continet & exhibet. Jure igitur merito *Ευχαριστια* graece *Bona gratia* latine redditur ; qua Chriſtus Dominus memoriam faciens ſuorum mirabilium (*a*) omnes ſui erga nos amoris theſauros (*b*), gratiaſque omnes velut effudit. II.

(a) *Pſalm.* 110.
(b) *Conc. Trid. Seſſ.* 13. *cap.* 2.

II. Quanto igitur cultu, quantaque animi pietate, totiusque corporis quanta conformatione, ac religione hoc Sacro-sanctum Eucharistiae Sacramentum peragi, ministrari, ac sumi debeat, solus qui verae Religionis extorris est, ignorare poterit.

III. Quaelibet ergo Matrices Ecclesiae decentius, atque ornatius eligant Altare, quo Dei Sabaoth Tabernaculum, Divinique pignus amoris, & nostrae Religionis fulcimen, collocent, ejusque hospitiolum sit ex argento, marmore specioso, vel saltem ex ligno nobiliter caelato, & auro linito; intrinsecus vero vel deaurata lamina, vel serica veste albi coloris amictum, ut majori qua potest decentia, & veneratione asservetur.

IV. Altare, ubi laudatum Tabernaculum aptari debet, ita sit capax, & opportunum, ut non solum Sacerdos celebrare, sed etiam Fidelibus commode Eucharistiam ministrari possit. Singulis autem Hebdomadis hoc Sacramentum, & tempore hyemali singulis quindecim diebus renovare, & ante illud diuque, noctuque unam, vel plures lampades accensas nutrire Paroeci teneantur sub poenis viginti librarum Caerae albae elaboratae, aliisque arbitrio Nostro infligendis.

V. In Parochialibus Ecclesiis praeter pyxidem majorem ex argento, altera parvula similiter argentea habeatur, in qua deferatur infirmis viaticum, & dum tempore diro, vel per loca aspera, & salebrosa asportari debeat in sacculo serico aurifrigiato cum duabus sericis cordulis a Paroeci collo pendentibus alligato pyxis imponatur, ne, si forte Minister labatur, corpus Domini extra vas inreverenter projiciatur.

VI. Volumus etiam, ut quando ad infirmos Eucharistia ferenda sit, Ecclesiae companae ad populum convocandum pulsentur, & majori cum pompa, atque animi religione Psalmos, & hymnos canendo, caereisque pluribus accensis, cum umbraculo, & pallio, si fieri possit, decorose gestetur.

VII. Curati omnes summis incumbant viribus, ut in suis

ſuis Paroeciis Sanctiſſimi Sacramenti inſtituatur Sodalitas, ut ipſa hoc munere laudabilius fungatur.

VIII. Ad Euchariſtiam prima vice ſumendam non admittantur, niſi qui a proprio Parocho adprobati fuerint, & ſufficientis diſcretionis, ac rationis compotes exiſtant.

IX. Haud omittant Paroeci ſaepe ſaepius ſuum monere Populum, ut hoc quam citius ſe reficiat Sacramento, ut fortius Diabolicis reſiſtat incurſibus, ac de illis ſemper victoriam reportet: Tempore vero Paſchali nullo modo hoc facere praetermittant, & tunc volumus ab omnibus communionem ſumi in propria Paroecia, et a proprio Sacerdote; quum aequum, ac rationabile ſit, ut ipſe aliquando ſibi ovium commiſſarum certam habeat notionem, ne quum requiſitus fuerit, reddere nequeat de iiſdem rationem.

X. Mandamus propterea, ut Confeſſariorum nemo ſive ſaecularis, ſive Regularis ſit tempore Paſchali Euchariſtiam iis, qui de ſua Paroecia non ſint, ullo modo miniſtrare praeſumat, alias a Nobis ſevere punietur.

XI. Quum praeſcriptum ſit a noſtra Sancta Matre Eccleſia, ut quiſque Fidelis, ſaltem in Paſchate, hoc ſe muniat Sacramento; mandamus propterea, ut Parochi frequentes habeant de hac re ad Populum Καταχηστες inſtructiones, illumque admoneant a Dominica Palmarum uſque ad Dominicam in Albis huic Eccleſiae praecepto ſatisfacere poſſe, et debere ſub poenis a Sacris Canonibus inflictis, niſi quis legitimam habuerit cauſſam a Nobis, vel Noſtro Vicario Generali adprobandam.

XII. Et ut fraudibus, hominumque aſtutiis, quantum fieri poteſt occurramus, volumus, ut Paroeci per ſe, vel per intemeratum Sacerdotem in libro ad hoc deſtinato, nomina eorum, qui Sacra communione reficiuntur, deſcribant, vel cuique aliquod ſignaculum tribuat, quod poſt Paſchatis octavam ab eodem repetant, ut quos huic Sacro-ſancto Praecepto non ſatisfeciſſe repererint Nobis ſignificent, ut eorum ſpiri-

Spirituali ſaluti opportunis remediis providere poſſimus.

XIII. In hoc Sacramento aegrotis geſtando utatur Paroecus illis ritibus, et caeremoniis, quae in Rituali Romano continentur, et caveat ea, quae in eo praecipiuntur caveri, ne in aliquem incidat errorem. Tantum huic adjungimus, quod duae ſaltem deferantur in pyxide particulae, ne accedentes adoraturi decipiantur, dum recedendo e domo infirmi, eidem obviam fiunt; ſi tamen per longas, et ſalebroſas vias incedendum ſit, tunc unam tantum ſufficiet geſtare particulam, ſed ſtatim, peracta communione, caerei extinguantur, et lanternae, et pyxis Eccleſiae reſtituatur ſine Sacerdotali adparatu. Feminae vero nunquam Sacerdotem Euchariſtiam deferentem praecedant, ſed Sanctarum illarum mulierum pietatem imitentur, quae a longe Dominum ſequebantur; noctu autem ne ſequantur quidem, ſed domi ſe contineant, ibique humi proſtratae Dominum Angelorum venerantes, caritatis potius, quam corporis greſſibus comitentur; at Parochus ſemper, quum in Eccleſiam revertitur Fidelibus annunciare non deſinat Indulgentias a Summis Pontificibus conceſſas tam aſſociantibus Viaticum Domini ad infirmos, quam domi orantibus pro eiſdem; dum ad eos illud defertur.

XIV. In ſolemni Corporis Domini die, quo publica, et magnifica inſtituenda erit Proceſſio, fiat in omnibus locis, quamvis minimis, et majori qua poterit ſolemnitate, et pompa per vias, et loca digniora, et Curatus per aliquot dies ante, Clerum, Populum, Regulares, et Laicorum Societates moneat, ut ad dictam conveniant Proceſſionem, et quos abſque legitima cauſſa renuentes compererit, Nobis ſignificet, ut debitis plectantur poenis, ſi opus fuerit.

XV. At quia in praefata Proceſſione ſaepe ſaepius de praecedentia contentiones, ope Doemonis, excitari ſolent, omnibus, et ſingulis ſub virtute Sanctae Obedientiae mandamus, ut a ſolito non recedatur, ne partibus praejudicium

ullum inferatur, nec jus aliquod de novo adquiratur; sed peracta Processione cum suis juribus coram competenti Judice se conferant, ut controversia, vel jurgium juridice extinguatur.

XVI. Nullibi tandem Augustissimum Eucharistiae Sacramentum 40. Horarum orationis caussa publicae fidelium venerationi exponatur, nisi a Nobis, vel Nostro Vicario Generali facultas ad hoc, servatis servandis, fuerit facta; et id etiam omnino servetur, ut 20. saltem lumina perpetuo colluceant in altari, ubi hoc Sacramentum exponetur, quod decenter pariter, et speciose ornatum sit, et congruo Fidelium numero jugiter ex corde adoretur.

C A P. VI.

De Extremae Unctionis Sacramento.

I. Sicut, teste Hieronymo, Athletas pugnam adgressuros oleo inungi consuevisse, legimus, non aliam ob rem, nisi, ut eo corroboratis brachiis, in arenam descendere alacriores possint; ita Christi fideles (quibus est colluctatio adversus carnem, et sanguinem, adversus Mundi Rectores (a) contra Spiritus nequitiae) dum hinc sunt jamjam discessuri, Divina institutione Sacro tinguntur Oleo, ut alacrius in mortis agone, a quo pendet aeternitas, iniquissimi hostis tela retundant.

II. Oleum vero olivarum ab Episcopo (b) in die Coenae Domini benedictum, est hujus Sacramenti materia remota; proxima vero est inunctio, eodem oleo adhibito, facta a proprio Ministro, qui regulariter est Paroecus, vel alius Sacerdos ab eo deputatus. Forma sunt verba: *per istam Sanctam Unctionem* . . . . a Ministro, dum ungit, prolata (c), ut in Rit. Rom. III.

(a) 1. *ad Ephes.* 6. 12.
(b) *Trid. Sess.* 14. *cap.* 1. *de Extr. Unct.*
(c) *Cath. Rom. p.* 2. *de Sac.*

III. Hujusce Sacramenti effectus proprius est peccatorum reliquias delere, aegroti animum alleviare, mortis terrores vincere, et insidias Diaboli ejus calcaneo insidiantis eludere: sanitatem etiam corpori quandoquidem adfert, si id Clementissimo Institutori Jesu Christo animae saluti expedire videbitur (a).

IV. Hujus Sancti Olei vasculum argenteum sit, vel saltem ex stanno, ac in eo γοσσιπιον gossipium cum oleo includatur, et in peculiari armario penes Altare, coram quo lampas perpetuo ardeat, servetur.

V. Paroecus vero infirmum sacro Oleo uncturus, sit superpelliceo indutus, stola violacea, et Clerico, qui crucem deferat, praeeunte: infirmi domum veniens, eum consoletur brevi sermone, adstantesque moneat, ut pro infirmo orent, et praemissa ab infirmo, vel alio generali confessione ad contritionis actum eliciendum, si tempus aderit, illum, servata forma Ritualis Rom., ungat, & tergat.

VI. Hujusmodi vero Sancta Unctio aegroto ministretur, dum sit sanae mentis, ut quod recipit, intelligat; si tamen fieri poterit: verum si aliqua de caussa sensibus sit destitutus, dummodo adhuc vivat, si petiit, vel christiane vixit, et probabile est Parocho petiisse, non est ei deneganda, sicut nec etiam deneganda est amentibus, delirio correptis, aut loquela, et auditu carentibus, si praecedenter pie petierint, seu verosimiliter petiissent, nec in mortali constitutos esse luculenter constet.

VII. In Ceteris, monita, ritus, et caeremonias, quae in Rituali Romano de recta hujus Sacramenti administratione habentur, adamussim Parochi observent.

VIII. Quod si Pastoris incuria, vel negligentia factum sit, ut quisquam sine Sacrae Unctionis auxilio ex hac vita discedat, ultra Sacrorum Canonum poenas peculiares, ultio

M 2 arbi-

(a) *Trid. Sess. 14. Cap. 2.*

arbitrio Nostro taxanda ad hunc reatum perstringendum dubio procul accedet (*a*).

C A P. VII.

De Ordinis Sacramento.

I. Cum Sacerdotes, quemadmodum monet S. Dionysius Areopagita in suo aureo Tractatu de Hierarchia Ecclesiastica, instar crystalli pellucidos, & puros esse oportet, in quam solis radii incidentes in cetera, quae vicina sunt, reflectant, tantis opus est aliis praestare virtutibus, ut sint quasi homines inter bruta, & quasi Angeli inter homines: et reapse Divinis apud Malachiam erudimur Oraculis, Sacerdotem utique Angelum Domini esse (*b*), immo Deos Dei, clamante ipsa Divina Sapientia: ***Ego dixi Dii estis, & Filii Excelsi omnes*** (*c*). Et si Angeli, eodem Dionysio testante, in valvis SS. Trinitatis collocati sint, ut a Deo minime separentur, Sacerdotes cavere debent quam maxime, ne cum Angelis, qui Domino fuere rebelles in praeceps ruant, Sanctos ergo esse studeant. At quid Sanctos eos facit? *Non sola quidem mundities a peccatis*, inquit Joannes Chrysostomus, *sed quaedam eminentia*, *excellentia virtutum*, *praesentia spiritus*, & *bonorum operum opulentia*. Quomodo enim juxta Oseae testimonium; peccata Populi comedent, nisi orationi, Sacrificiis, aliisque pietatis operibus vacent (*d*)? Sed quorsum hoc? Ipsa ait Sanctitas: *Sancti estote*, *quoniam ego Sanctus sum* (*e*), & quoniam incensum, & panes offerunt Deo, ideo sanctos esse debere. Quod igitur Mosaicis dictum fuit Sacerdotibus, ut sancti essent, id eo vel maxime, & Evangelicis quoque dictum putatur. II.

(a) *Cap.* ex parte *de Cler. aegr. Can.* placuit, & *ibi Gloss. quaest.* 1.
(b) *Malach. cap.* 2.
(c) *Psalm.* 79.
(d) *Oseae cap.* 4.
(e) *Levit.* 11.

II. Quapropter ne, Apostoli monitis posthabitis, manus temere *(a)* imponantur, praesenti Sanctione omnino observanda, edicimus, ad Clericalem Tonsuram neminem admittendum, nisi probabilem conjecturam praeseferat, se ad Clericalia munia pro Dei famulatu, non vero pro temporali quaestu, humanisque respectibus adspirare *(b)*, infrascriptis insuper polleat requisitis, ut se ad Ordines suscipiendos dignum, atque idoneum reddat, atque disponat. Quae requisita haec quae sequuntur erunt.

PRO CLERICALI TONSURA.

1. Licentia induendi habitus Clericalis ante triennium, juxta nostri Regna Concordata.
2. Fides Baptismi de aetate 13. annorum.
3. Fides Confirmationis.
4. Jurata Adtestatio Paroeci, & loci Presbyterorum de vitae honestate, & servitio Ecclesiae devote, & fideliter praestito.
5. Adtestatio Paroeci de frequentia Sacramentorum Poenitentiae, & Eucharistiae quintadecima quaque die.
6. Consimilis Adtestatio de opera, & diligentia in Doctrina Christiana pueris, & puellis tradenda sedulo, & cum progressu adhibita.
7. Fides Ludi-magistri de schola, ejusque habilitate, & doctrina.
8. Adtestatio fori Saecularis, non esse inquisitum, vel processatum in dicto foro laicali.
9. Examen super ejus scientia, & doctrina, ejusque progressu.
10. Beneficium Ecclesiasticum sufficientis redditus, ad cujus titulum debeat ordinari; vel costitutio Ecclesiastici patrimonii redditus 30. ducatorum Regni, juxta Concordata,

(a) *Ad Timot.* 5.
(b) *Concil. Med. S. Car. Bor.*

data, & Consuetudinem, quae in hac noſtra Dioeceſi viget, & obſervatur. Si vero Novitius triennium maturaverit in Noſtro Seminario, Adteſtationes illius Rectoris ſatis erunt de vitae honeſtate, & Sacramentorum frequentia, exceptis illis, quae neceſſario a Parocho praeſtandae erunt.

11. Fides proclamationum in propria Paroecia, & locis ubi incoluerit, quod nullum detectum fuerit Canonicum impedimentum.

12. Litterae Teſtimoniales Ordinarii loci juxta formam Bullae: *ſpeculatores* pro iis tantum, qui in aliena Dioeceſi ultra duos menſes moram traxerint.

PRO MINORIBUS ORDINIBUS.

1. BUlla primae Tonſurae, ſive ejus exemplar.
2. Fides Baptiſmi de aetate quatuordecim annorum.
3. Adteſtationes, ut ſupra dictum eſt, de Sacramentorum frequentia, ſervitio Eccleſiae, veſtium modeſtia, Doctrina Chriſtiana, Schola, bonis moribus, & de Proclamationibus.

PRO SUBDIACONATU.

1. BUlla Acolythatus ſuſcepti, vel ejus exemplar.
2. Fides Baptiſmi de aetate 21. anni completi.
3. Adteſtationes Parochi, & Presbyterorum, de morum probitate, Sacramentorum frequentia, ſervitio Eccleſiae, Doctrina Chriſtiana, veſtium modeſtia.
4. Adteſtatio Paroeci de proclamationibus ad Populum habitis, & nullo reperto impedimento.
5. Fides perceptionis fructuum Beneficii, vel Patrimonii, ad cujus titulum ordinatur, juxta taxam.
6. Adteſtatio Cuſtodis Archivii, quod promovendus non ſit inquiſitus.

7. Fi-

7. Fides Praefecti Congregationis exercitiorum ſpiritualium per decem dies peractorum in Clauſura.
8. Fides Ludi-magiſtri de ejus ſtudiis, & progreſſu in eiſdem.
9. Examen de Doctrina, ejuſque adprobatio.

PRO DIACONATU.

1. Fides Baptiſmi de aetate 23. annorum.
2. Fides proclamationum, & aliorum ut ſupra.
3. Fides Caeremoniarii, vel ubi non habeatur, teſtimonium Parochi de ſolemni Subdiaconatus exercitio.
4. Juramentum pacificae poſſeſſionis patrimonii, & receptionis fructuum.

PPRO RESBYTERATU.

1. Adteſtatio Paroeci de aetate 25. annorum, & cetera omnia, ut ſupra diſcrete accepta. Quicunque Sacrum Presbyteratus ordinem, quo dignatus fuerit, primo exercere velit, Noſtram licentiam petat, quam obtinebit dubio procul, exhibita prius Caeremoniarum Magiſtri adteſtatione, eum eſſe in Sacris Ritibus, & Caeremoniis peritum, & idoneum, Miſſaeque Sacrificium poſſe inoffenſo pede peragere.
2. Volumus tandem, quod a Cancellario Noſtro in libro ad hoc deſtinato, Clericorum omnium tam Saecularium, quam Regularium, qui a Nobis ad primam Tonſuram, vel quoſcumque ordines promoti fuerint, nomina, cognomina, patria, dies, annus, titulus beneficii, vel patrimonii, etiamſi alterius ſint Dioeceſis, adnotetur, Litteraequae Dimiſſoriales caute cuſtodiantur.

CAP.

C A P. VIII.

De Sacramento Matrimonii, ubi etiam de Concubinariis.

I. MAgnum illud conjungium ad fobolis procreationem ordinatum in ftatu Innocentiae (*a*) inftitutum; ut Naturae peccati vi-vulneratae remedium in Lege Naturali, ac Mofaica difpofitum, ut Chrifti, & Ecclefiae conjunctionem per Incarnationis Myfterium referret, in Lege Evangelica a Clementiffimo Servatore Noftro initium fumfiffe, cujus falutari confilio de contractu pure Civili ad Sacramenti dignitatem elevatum, fanctificantem gratiam digne fufcipientibus conferre, conjugefque adjuvare ad Matrimonii onera ex corde ferenda (*b*), Magnum proinde Sacramentum ab Apoftolo jure dictum, & veneratione praecipua celebrandum effe, minime ambigitur.

II. Ad evitandum evitanda, volumus & mandamus, ut nullus Parochorum edicta publicare, feu denunciationes ad Populum habere audeat, etiamfi a Noftra Curia licentiam habuerit, nifi explorata prius contrahentium voluntate, & parentum confenfu, juxta recentes Noftri Regni Sanctiffimas Sanctiones, libere obtento.

III. Matrimonium a propriis Parochis tam viri, quam mulieris celebrari, Sponfofque benedici (*c*) cum praefentia duorum, vel trium teftium omnino debet, nec aliter Paroecus Sponfos in Matrimonio conjungat fine licentia Noftrae Curiae in fcriptis habenda, fub poena Sufpenfionis, & aliis arbitrio noftro.

IV. Volumus pariter, quod Sponfi priufquam ad Matrimonii celebrationem admittantur, proprio Paroeco legitimae eorum aetatis, quae in mafculis 14., in foeminis 12. annorum requiritur, notitiam dent; nec non eos Chriftianae Religio-

(a) *Gen.* 2. (b) *Ad Eph.* 1. *v.* 3. (c) *Conc. Trid. feff.* 24.

ligionis rudimenta recte scire, nullumque consanguinitatis, vel affinitatis, vel spiritualis cognationis gradum, vel impedimentum adesse; nullam vim, vel metum, nullamque conversationem inter eos extitisse, compertum sit; quod si impedimentum aliquod ante, vel post proclamationes detectum fuerit, ad Nostram Parochus referat Curiam, ut quod conveniat, fiat, atque ordinetur.

V. Qua de caussa antequam Sponsi Matrimonio jungantur in Paroeciali Ecclesia tam viri, quam mulieris inter Missarum solemnia nomina, cognomina, ac eorum voluntas contrahendi publicentur, moneaturque Populus, ut, si quis aliquod impedimentum adesse sciat, revelare sub poena excommunicationis non praetermittat. Nam qui Matrimonii contrahendi impedimentum sciverit, & non revelaverit, vel caussa Matrimonium impediendi aliquid malitiose fecerit, gravis culpae reum se esse, & Divinam ultionem haud effugere posse, noverit.

VI. Quum, Sponsalibus de futuro contractis, conversationem diu inter Sponsos impedire ardua res sit; volumus propterea, ut statim facta ultima denunciatione, non autem eo ipso die, nisi forte immediate subsequeretur Adventus, vel Quadragesima Sponsos in Matrimonium Parochus conjungere procuret; si vero per spatium quadraginta dierum hoc facere neglexerit absque Nostra nova licentia in scriptis, vel Vicarii Nostri, ad contrahendum eos non admittat.

VII. Si Matrimonium, omissis proclamationibus, dispensantibus Nobis, celebrari contigerit per verba de praesenti, tunc Sponsi a consummatione Matrimonii, ac consuetudine se abstineant, donec proclamationes expletae fuerint, nullumque adesse inter eos impedimentum, constet.

VIII. Matrimonium nullibi, quam in Paroeciali Ecclesia Sponsi, vel Sponsae coram Curato, vel alio Sacerdote de ejus licentia cum duobus, vel tribus testibus, aliisque

N ritI-

ritibus in Rituali Romano notatis celebretur : quod si in alia Ecclesia, vel domi a Nobis celebrari concedatur, id fiat loco decentiori, & coram aliqua Sacra Imagine, & non aliter, nec alio modo, sub poenis arbitrio Nostro.

IX. Admoneat praeterea Curatus, ut Sponsi ad Matrimonium contrahendum instar Sarae, & Tobiae se jejuniis, & orationibus praeparent, peccata sua confiteantur, saepe Sacra Eucharistia se reficiant, ut Divinam gratiam, quae a Sacramento confertur, consequi mereantur, nec benedictionem in Missa, juxta Ritum S. Matris Ecclesiae, praetermittant.

X. Quum Adversarius noster Diabolus in hoc Matrimonii Sacramento, per quod Dei infunditur gratia, suum venenum miscere non definat, ita ut contractis tantum Sponsalibus de futuro carnalem copulam inter se ita habeant, ac si essent veri Conjuges (*a*), quod non leve est, dum intuitu Sacramenti peccatum inducitur, & pro Dei gratia Diaboli conversatio habetur juxta illud Tobiae (*b*). Isti autem, qui sic conjugium suscipiunt, ut Deum a se, & a sua mente excludant, & suae indulgeant libidini, *sunt sicut equus, & mulus, quibus non est intellectus* (*c*), & Diabolus stat a dexteris ipsorum, ut inter eos nunquam inveniatur pax, & proles ex Matrimonio, cujus principium fuit luxuriae peccatum, infelices solent habere eventus. Hinc Theologorum Nostrorum consilio reservavimus Nobis absolutionem illorum, qui post semel, & iterum Sponsae domum frequentant, nec non parentum, qui hanc permittunt conversationem, ut fusius diximus agentes de *Casibus Nobis reservatis*.

DE

(a) *S. Carol. de Matr. cap. ult.*
(b) *Tob. cap. 21.*
(c) *Psalm. 21.*

DE CONCUBINARIIS.

I. QUo magis carnis illecebrae a recta christiane vivendi ratione animum deflectunt, eo diligentius Pastoralis officii adversus impudicitiae sordes cura invigilet. Jure igitur optimo Pontificiis cavetur Constitutionibus (a), ut Episcopi in suis Synodalibus Decretis gregem sibi commissum ad Concubinas expellendas moneant, prout Nos, eorum exemplo freti, Nostros monemus, & in Domino hortamur Curatos, ut frequenter sedulo, & majori, quo poterint, caritatis zelo Concubinarios (si qui sint in eorum Paroecia) corripiant, Divinam ultionem eorum oculis objiciant, & Nos faciant certiores, ut eos Ecclesiastico Excommunicationis gladio, si opus erit, pro eorum contumacia, servatis de jure servandis, ad meliorem frugem redigere possimus.

II. Qui vero tanquam sues in volutabro luti volvuntur, & adeo duri cordis, & cauteriatae sunt conscientiae, ut in Excommunicatione obsordescant, anno redeunte iterum in cedulonibus recenseantur, & ubi neglectis censuris effrontes perseveraverint, Paroeci Nos admonere non protrahant, ut rem Serenissimo, & Piissimo Regi Nostro patefaciamus, qui utpote Sacrorum vindex Canonum, ac Dei honoris Zelotes strenuus, rei tanti momenti dubio procul providebit.

C A P. IX.

De Sacro-sancto Missae Sacrificio.

I. DEletis penitus, atque abrogatis Sacrificiis illis, quibus per hircorum, & vitulorum sanguinem cultus, & obsequium D.O.M. praestabatur, & per cruentam deinde in ara Crucis Agni immaculati victimam pro Mundi peccatis oblatam, panis & vini Eucharistica munera Aeternus secun-

(a) *Leon.* X. 15. *Sap. an.* 1510., *&* *B. Pius V. sext. kal. April.* 1566.

dum ordinem Melchisedech Sacerdos, Aeterno Patri nos offerre erudivit, per quae incruenta, memoria quotidie renovata, fieret nobis immaculata hostia, criminum etiam ingentium propitiatio, salutare animae nutrimentum, & unicum Novae Legis Sacrificium veterum omnium virtutem eminenter complectens, novumque Deo redolens suavitatis odorem.

II. Ut igitur tam Sacro-sanctum, Divinumque Mysterium, cui Angeli quoque revelata facie interesse verentur, Missae nomine a Nostris Patribus nuncupatum, & eo, quo par est, cultu, & animi Religione peragatur, volumus, & decernimus ad hoc Augustissimum Sacrificium absolvendum accedere nemini Sacerdotum licere, nisi pedibus calceatis, cum tonsura, & veste talari nigri coloris, vel saltem superiori veste, ab humeris ad talos usque profluente, ac una in Sacristiis pro exterorum, & itinerantium Sacerdotum usu, non vero pro Nostris Dioecesanis, & incolis adservetur (*a*).

III. Annulos in digitis nemo gestet, licet Doctorali Laurea, vel Ecclesiastica dignitate Episcopali minore, sit insignitus (modo ex Apostolica concessione ei non sit datum) etiamsi Protonotarius sit, & annulo absque gemma uti velit, (*b*) nunquam sine licentia potest.

IV. Pileoli quoque usus sine speciali privilegio Sacerdoti celebranti, & multo magis Diacono, & Subdiacono ministrantibus est interdictus, neque eo qui tali potitur facultate uti potest a Praefatione ad sumtionem usque, nec ad versum: *& incarnatus est*. Canonicis in Choro adstantibus eo uti, toto Canone excepto (*a*), permissum est.

V. Nullus Sacerdotum Episcopo inferior, celebraturus paramenta de Altari extra necessitatem sumere praesumat (*b*). Sed in Sacristia induatur, vel in Sacristiae defectu, de mensa ad hujusmodi usum prope Altare aptata Sacra paramenta pro Missae Sacrificio reverenter accipiat. VI.

(a) *Crisp. Vis. Past. p. 3. §. 1. n. 3.*
(b) *Sac. Cong. Rit. 13. Feb. 1623.*
(c) *Sac. Rit. Cong. apud Nicol. Flosc. v.* Pileolus.
(d) *Sac. Cong. Rit. 7. Julii 1622.*

VI. In Altari, in quo fit Sacrificium, Crux cum imagine Crucifixi medium teneat locum, licet in Icone altaris ejusdem Crucifixi imago adoretur, aut Augustissimum Eucharistiae Sacramentum in Tabernaculo ibidem adservetur (*a*): item geminum lumen adhibeatur de caera alba elaborata.

VII. Singulis diebus, vel saltem Dominicis, & Festis in Civitatibus, & aliis locis Nostrae Dioecesis, ubi sufficiens adest Sacerdotum numerus, celebretur una Missa in aurora pro pauperum, rusticorum, viduarum, & Nobilium decentibus indumentis carentium commoditate, in qua celebrans praecipuas Doctrinae Christianae partes explicare (*b*) teneatur.

VIII. Dominicis pariter, Festisque diebus ceterae Missae in Cathedrali praecipue, Collegiatis, & Parochialibus Ecclesiis ordinate una post alteram celebrentur, ut Populi commoditati consulatur.

IX. In nocte Nativitatis Domini post primam Missam alias duas immediate celebrare, aut Fidelibus confluentibus Eucharistiam ministrare, etiam in Regularium Ecclesiis sine specialissimo privilegio, ex iteratis Sacrae Rituum Congregationis Decretis (*c*) non licet.

X. Paroeci, & Curati omnes singulis Dominicis, & Festivis diebus celebrare, & Missam pro Populo adplicare sine ulla excusatione tenentur, ut ex recenti SS. Domini Nostri Papae Benedicti XIV. ordinatione in Bulla, quae incipit (*d*) *quum semper* de missa Parochiali.

XI. Quod vero attinet ad Missarum onera satisfacienda a Benefactoribus relicta, Missae celebrentur in ea Ecclesia, & Altari a Testatore praescriptis, ne eorum fraudetur voluntas; nisi locus determinatus, vel Ecclesia diruta sit, justa tamen, & urgenti caussa interveniente, et in casibus provisio-

(a) *Sac. Rit. Cong.* 14. *Mar.* 1707.
(b) *Sac. Cong. Epis. in Vestana* 18. *Feb.* 1592.
(c) 20. *April.* & 7. *Decembris* 1641. & 9. *August.* 1653.
(d) *Bull. tom.* 2.

sionalibus, de Archiepiscopi licentia possunt alio transferri: absolute autem, et regulariter permutari non possunt absque legitimae Potestatis indulto (a).

XII. Nova Missarum onera perpetua si recipiantur, de ipsis conficiatur tabella in Sacristia publice exponenda cum adnotatione nominis Benefactoris, dotis assignatae, numeri Missarum; et diei, in quo celebrandae erunt, et Sacerdotes celebratores in peculiari libro ad hoc in Sacristia adservando propria manu Missas celebratas describant cum adnotatione anni, Mensis, et diei, juxta Sacrae Congregationis Concilii praescriptum (b); quod si ad praedicta onera satisfacienda redditus sufficientes non erunt, Missarum reductio habito recursu ad judices, ad quos spectat, fieri poterit.

XIII. Sacerdotes exteri, seu vagi ne in Ecclesiis quidem Regularium celebrare permittatur, nisi exhibita licentia Nostra, vel Nostri Vicarii Generalis, sive Foranei respective in scriptis concedenda, post diligens examen litterarum testimonialium suorum Ordinariorum, quae omni suspicione carere debeant (c), & in hoc valde sint cauti.

XIV. Volumus quoque, ut Sacerdotum neminem fugiant proscriptae ab Alexandro VII. Propositiones, quibus nonnulli Theologi licere Sacerdoti ex Missae adventitiae eleemosyna sibi aliquid reservare opinabantur; nec non, posse Praesbyterum sacrificii partem sibi specialissimam, alteri adplicare, aliudque pro ea stipendium accipere. Praeterea licere adplicationem Missae pro eo, qui daturus est eleemosynam praevenire: ad hoc enim ut ab his improbis caveant opinionibus, eas heic memoratas volumus: *Duplicatum stipendium potest Sacerdos pro eadem Missa accipere adplicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsimet celebranti correspondentem. num. 8.*

Po-

(a) *Ex facult. Concessa a Trid. Sess. 22. cap. 6. de ref.*
(b) *in Litt. Encycl. 15. Decembris 1663.*
(c) *Sac. Congr. Episc. 20. Feb. 1649.*

Potest Sacerdos, cui Missae celebrandae traduntur per alium satisfacere, collato illi minori stipendio, alia parte stipendii sibi retenta. n. 9.

XV. Volumus insuper, ut post Missam majorem tam in Cathedrali, & Collegiatis, quam in Matricibus loci Ecclesiis qualibet Dominica, aliisque Festis diebus, & iis, quibus Populus interesse tenetur, hora tardiori postrema celebretur Missa, ut nemo de Missa inaudita excusetur.

XVI. Cunctis ad quos attinet, & maxime majori Nostrae Cathedralis Sacristae, qua majori possumus sollicitudine, Sacrae suppellectilis nitorem, & potissimum corporalium, mapparum, & manutergiorum commendamus, atque inculcamus puritatem.

XVII. Mandamus praeterea eisdem ut habeant in Sacristia libellum ordinis officiorum, seu Kalendarium pro recta Sacrorum celebratione, qui quotannis ad Nostrae Archidioecesis usum typis excuditur, etiam cum peculiaribus officiis uniuscujusque Nostrae Dioecesis loci, ut juxta illius seriem omnia perbelle dirigantur.

XVIII. Praecipimus quoque eisdem Sacristis; ut nullo pacto adhibeant casulas sive pallas Sacerdotales eodem die diversi coloris, & procurent, ut adhibeantur colores illi, & Missae celebrentur, quae illius diei officio in omnibus correspondeant.

XIX. Sacristis pariter imponimus, ut praeparanda Sacrosancti Sacrificii materia cum panis, tum vini pura sit, & alterius materiae contagione omnino expers sit, & immunis.

XX. Volumus tandem, atque omnino praecipimus, ut qui Sacristiis praesunt silentium ibi custodire satagant, ne Sacer ille locus in speluncam convertatur latronum ob vanas Ecclesiasticorum, & Laicorum fabulationes, & illi qui ad tremendum Missae Sacrificium ibi se praeparare debent, potius dissipationem, quam animi quietem nanciscantur.

CAP.

CAP. X.

De Indulgentiis.

I. QUum, deleto culpae reatu, remissaque supplicii aeternitate, adhuc remaneant in peccatoris anima delicti maculae, quae, nonnisi temporalis poenae luitione, deleantur antequam in domum Domini ire liceat, huic etiam incommodo generis humani Restaurator occurrere voluit, Indulgentiarum thesaurum ex Passionis suae, Sanctorumque meritis collectum, Ecclesiae suae Sponsae commodum, atque opportunitatem constituendo, a quo, condigna pro peccatis satisfactione mutata (*a*), & severo Judici oblata, facilius Conditoris vultum cernere, & in atria Domini Sabaoth intrare per Indulgentiarum semitam feliciter possimus.

II. Hujus autem indeficientis thesauri primarius Distributor est summus Romanus Pontifex legitimus Petri successor, & visibilis Christi Vicarius (*a*) qui proinde Universo plenarias Orbi concedere indulgentias possit vivis per modum absolutionis, & animabus Purgatorio igne detentis per modum suffragii, seu impetrationis, utpote de Ecclesiae jurisdictione egressis. Eadem Indulgentias plenarias dispensandi facultas residet penes Oecumenicum Concilium legitime congregatum, praesente Pontifice; eo vero absente 100., vel 40. dierum indulgentiae tantum elargiri Concilium potest.

III. Insuper ex Supremae Sedis facultate largiri possunt Indulgentias Cardinales Pontificii Legati 100 dierum; item ceteri Cardinales in Ecclesiis suorum titulorum Archiepiscopi 40. dierum per totam eorum Provinciam, prout etiam Episcopi per suam Dioecesim non tamen pro Defunctis. Qui Episcopali jurisdictione carent, sine speciali privilegio, aut summi Sacerdotis commissione Indulgentias concedere nequeunt (*b*). Quoad Indulgentiarum recenter concessarum evulgationem, sciant

(a) *Trid. Sess. 25. Decret. de Indulg.*
(a) *Cap. quum ex eo in fin. de poen. & remissio.*
(b) *Cap. accedent. de excess. Prael.*

ſciant Paroeci, & Concionatores, etiam Regulares qualiter illas publicare non poſſunt, niſi illarum tenores, & ſcripturas Nobis exhibuerint, licentiamque obtinuerint. Verum Concionatores, ut Populus Indulgentiarum virtutem conſequatur, ante omnia cunctis inſinuent Fidelibus, quod Sanctus Thomas docet (*a*), ut praeſtare magis opera, & fructus verae poenitentiae, quam ſolis Indulgentiis inniti ſatagant, & fruſtra Indulgentiarum vim adpetere eos, qui in peccato lethali degunt: non poenae remiſſionem ab Eccleſiae Miniſtro poteſt conſequi, qui culpae remiſſionem a Deo non fuerit conſecutus, ut ſcite loquitur S. Thomas (*b*).

IV. Qui ergo Indulgentias lucrari deſiderat, oportet, ut totis viribus ad ſatisfaciendum Divinae Juſtitiae congruis, & diuturnis poenitentiae laboribus conetur, ut S. Cyprianus admonere ſolebat. Deinde opera ſpeciatim injuncta concedentis juſſu diligenter, & ſedulo adimplere procuret. Nihil vero conceſſionis tenori addatur, nihil de eo imminuatur, vel permutetur, ſub poenis arbitrio Noſtro contra evulgantes, & Indulgentiarum tenorem, ſeriemque immutantes infligendis.

V. Indulgentias quaſcumque cuilibet Eccleſiae Noſtrae Dioeceſis conceſſas in peculiari libro deſcribi volumus, & in Archivio adſervari, & praeterea in patenti tabella exaratas publicae Fidelium notitiae patulo loco exponantur.

VI. Mandamus inſuper Paroecis, & Curatis, ut ſaepe ſaepius admoneant ſuos Parochianos de Indulgentiarum theſauris a Summis Pontificibus, praeſertim Innocentio XI., & XII. conceſſis iis, qui Sanctiſſimum comitantur ad infirmos Viaticum, qui Doctrinae Chriſtianae interſunt, quique cetera exerceant pia opera, quibus Indulgentiae perpetuo ſunt adnexae, habentes penes ſe eorum omnium catalogum, quem in Populi frequentia ad eundem frequenter clara legant voce, ut ad illas conſequendas Fidelium animi facilius excitentur, faciliuſque per Indulgentiarum ſemitam in aeterna Dei tabernacula adſcendere valeant. O ORA-

(a) *Sum. part. 3. ſupp. q. 25. art. 1.* (b) *loc. cit.*

ORATIO

A Perilluſtri Archidiacono

D. FRANCISCO-MARIA PANSA

Ad III. Synodi Amalphitanae Seſſionem habita.

QUod Eccleſiae Univerſae, atque Reipublicae bene, feliciterque vertat, finem jam imponimus Sanctae Synodo, quam, Auctoritate Tua, Archipraeſul Vigilantiſſime, in Dei nomine congregatam, annuentibus Clemente XIV. Pontifice Maximo, & Ferdinando IV. Invictiſſimo Rege Noſtro, hactenus in Domino habuimus. Id ſupereſt unum, ut hodierna die, & immortales praepotenti Deo bonorum omnium Satori laudes eo nomine perſolvamus, & Tibi, Antiſtes optime, gratias agamus, Sanctae hujuſce Synodi, & Univerſae Amalphitanae Dioeceſeos nomine, cujus ſcilicet dignitas, atque ſalus Tibi credita eſt, quo omnium Tibi commiſſorum actiones, Te duce, ac veluti facem praeferente ad perennem Beatitatem perducantur. Te ſcilicet ad Paſtoralem ſpeculam omni contentione animi, atque induſtria aſſidue adſidentem, curaſque omnes ad ſalutem gregis Tibi crediti conferentem, quis non demiretur? Hoc ſalutis Univerſae Dioeceſeos ſtudium effecit, ut vetuſtiſſimum, & cum ipſo ferme Chriſtiano nomine ortum, ſed conlabente diſciplina interceptum morem Synodorum celebrandarum in uſum revocaveris maximo gregis Tui emolumento. Quid enim magis ad reformandum Clerum, ad moderandos mores, corrigendos exceſſus, ad Fidem, & Apoſtolicam Doctrinam tuendam, ad ſalvandas denique animas ſalubrius, & Deo acceptius eſſe poteſt, quam ut Venerandi aetate, ac Sapientia Patres, conlatis conſiliis

cum

cum Paſtore ſuo, de rebus Divinis, & ad ſalutem animarum pertinentibus deliberent? Antiquiſſimus hic eſt Eccleſiae mos, ut ſinguli Epiſcopi, congregato Presbyterio, de arduis Dioeceſis ſuae negociis tractent. Magna Nicoena Synodus bis in ſingulos annos Dioeceſanas, nedum Provinciales Synodos cogi juſſit: aetate poſtera, cum invaluiſſet quolibet anno ſemel haberi, eum morem retinuit Concilium Lateranenſe IV., & poſtremo Tridentinum. Agite, Optimi Patres, nunc tempus acceptabile eſt, & dies ſalutis: nunc, adſiſtente Spiritu Sancto, & toto Apoſtolorum Collegio, ac praeſertim Beatiſſimis Apoſtolis Petro, & Paullo, atque Andrea, cujus hodie Feſtivitatem Eccleſia celebrat, & noſtra praeſertim Eccleſia, tamquam praecipuum Patronum ſuum veneratur, & in cujus vocatione primitias Apoſtolatus Jeſus-Chriſtus Dominus Noſter dedicavit, abuſus tollendi ſunt, vitia extirpanda, boni mores ſuſcitandi, & Diſciplina Clericalis in integrum reſtituenda. Quod vero Synodorum omnium convocatio eo ſpectat omnis, ut Fides, atque mores ſarcti tecti habeantur, Fidelium mores ad Evangelii amuſſim componantur, menteſque ad Chriſtianam Pietatem informentur, operae pretium duxi de Vita, & Honeſtate Clericorum, qui peculiari quadam ratione ceteris Fidelibus exemplo praeire tenentur, Oratione hac, qua Synodus in Domino celebrata abſolvitur, quanta potero brevitate, diſſerere. Vos interim, Patres, moribus, & ſapientia graves, quibus nihil ſanctius, et antiquius eſt, honeſtate ipſa illud nunc committite, ut meliori mente, bonaque cum venia verba mea exaudiatis.

Agendum itaque eſt in hac tertia Seſſione de Vita, et Honeſtate Clericorum. Atque haud ſcio, an in tota Eccleſiaſtica Diſciplina res alia ſit, quae noſtra magis interſit. Nos unos contemplatur Plebs Chriſtiana, et ad noſtrum exemplum Laicorum mores conformantur. Ea de cauſſa Apoſtolus ad Titum (a) eum ita hortatur: *praebe te ipſum exemplum bo-*

O 2

(a) *Epiſt. ad Tit. cap.* 2. *v.* 8.

honorum operum. Quamquam autem plurimos ab origine prima Canones de Vita, et Honeſtate Clericali Eccleſia condiderit, iique, utpote de moribus agentes, ſint immutabiles, conſuevit tamen Eccleſia eos identidem recudere, ut Clericis ante oculos obverſarentur, nec cum reliquis mutabilis Diſciplinae capitibus antiquatos, ſed Juri Divino, Naturali, ac Poſitivo innixos, in viridi uſque obſervantia eſſe exiſtimarent. Quamobrem Concilium Tridentinum quidquid antea Eccleſia ſtatuit, id firmum, ratumque juſſit.

Honeſtas igitur Clericalis imprimis poſtulat, ut veſtes Ordini congruentes gerantur. Nam per decentiam habitus extrinſeci, morum intrinſeca honeſtas oſtenditur, ut ait Synodus Tridentina (*b*). Unde et ipſi ſaeculares Principes in hoc Regno juſſerunt, eos demum privilegiis Clericalibus frui (*c*), *qui clericaliter vivunt*, ideſt qui externo habitu Clericos ſe gerunt, et in Miniſterio Eccleſiaſtico vivunt. Quas Leges nuper et Concordatum inter fel. mem. Benedictum XIV., et Carolum tum utriuſque Siciliae Regem, nunc autem Regem Catholicum initum, confirmavit. Debet igitur Clericis illud Divi Hieronymi eſſe propoſitum (*d*): *ornatus, aut ſordes pari modo fugiendae ſunt; quia alterum delicias, alterum gloriam redolet*.

Ac tamen deteſtabilis hodie in quaſdam Dioeceſes abuſus irrepſit, ut Clerici veſtem Clericalem vel raro, vel nunquam adtingant. Quod ideo factum puto, quia pravam veſtibus Clericalibus notionem ſubjiciant. Haec alia eſſe non debet, quam illa, quae in auſpicando Clericatum ab Epiſcopis traditur, ideſt veſtis talaris. Auctor, et fundus, ut ita ſentiam, mihi fuit ſexta Synodus in Trullo (*a*): *utatur veſtibus, quae iis, qui in Clerum adſcripti ſunt, adtributae fue-*

(a) *Seſſ.* 14. *cap.* 6. *de Reform.*
(b) *Capitulum Regni* 98.
(c) *Epiſt.* 2. *ad Nepotian. cap.* 11.
(d) *Can.* 27.

fuerunt . Zacharias Papa (*a*) *tunicam Sacerdotalem vocat*, hoc est, *Talarem*, ut interpetratur Glossa . Et ipsa Trullana Synodus (*b*) *stolam adpellat*, idest *Tunicam talarem*, & *operimentum oblongum* . Itaque quod inter Nos sapientissime constituisti, Amplissime Archiepiscope, ut omnes talares incederent, hoc ipsum inter Canones Synodales referas, precor, et obtestor, ut optimi Statuti memoria perenniter conservetur.

At quid dicam de Clericis illis, qui comam nutriunt, nullamve Clericalem tonsuram, vel ita exiguam, ut vix adpareat, gerunt? pudet id quidem meminisse, id scilicet despicatui habere, quod coronam Veteres adpellarunt, *ob regale, quo Sacerdotes funguntur, ministerium*, ut ait Rabanus Maurus (*c*) . Proh nefas! contemnitis testem Dominicae Passionis (*d*); nec non Divi Petri memoriam, cujus caput ludibrii caussa in modum coronae detonsum fuit, ut testatur Petrus Blesensis (*e*)? Haec ab Antiquis Corona omnibus tam sollicite injungitur, ut sine ipsa, neminem Clericum se profiteri posse dicat Balsamon (*f*).

Quum autem alearum lusum, tamquam discordiae, & rixarum seminarium, ipsae Civiles Leges proscribant: quid mirum si inter illa, quae a Clericis speciatim cavenda sint, hunc lusum Ecclesia reposuerit? Concilium Lateranense, ut cetera taceam, haec habet (*g*): *Clerici ad aleas, & taxillos non ludant, nec hujusmodi ludis intersint*. Mendaciorum siquidem, & perjuriorum Mater est alea, inquit Joannes Sarisboniensis (*h*). Nec opponatis mihi, quod chartarum ludus nominatim nullis Canonibus prohibitus reperiatur: nam sub aleae nomine omnis Fortunae ludus continetur (*i*). Ex Apostoli praecepto descendit, qui Clericos percussores esse vetat, quod usus armorum Clericis prohibitus est . Quod ita quidem

(a) *Can.* Episc. 21. *Sess.* 4.
(b) *Can.* nullus *ead. causs.* & *quaest.*
(c) *Can.* duo : *quaest.* 1.
(d) *Lib.* 1. *de Inst. Cleric.*
(e) *In lib. Tob. cap.* 1.
(f) *Ad Can.* 33. *Synodi in Trullo.*
(g) *Cap.* 5. *de Vit.* & *honest. Cler.*
(h) *Policatr. lib.* 1. *Cap.* 5.
(i) *Leg.* 11. *ff. de action. empt.*

dem accipiendum eſt , ut haec ne juſta quidem de cauſſa, Clericis tractare liceat (a): nam armorum uſum, & ſanguinis effuſionem ſemper exhorruit Eccleſia. Sed cur Eccleſia antiquis novos uſque Canones ſuperaddere coacta fuit ? Clericorum quorumdam effrenata licentia id effecit, ut Pia Mater Eccleſia unam eamdemque rem ſaepe inculcare opus habuerit. Utinam, & huic rei haec Sancta Synodus mederi non deberet!

Honeſtas Clericalis quoque poſtulat, ut Clerici caſte vivant; a crapula, ab ebreietate, a vitiis, joculatoribus, hiſtrionibus, tabernis, ludis abſtineant; neque ſe immiſceant ſaecularibus negociis ex Apoſtoli praecepto (b).

Vetuſtiſſima Eccleſiae diſciplina eſt, ne confuſio Clericorum, & Laicorum in Eccleſiis Divini cultus confuſionem pariat. Itaque Laicis patere non debet aditus ad Altare intra ſacra ſepta, in quibus dum Divinum Officium, & Sacrificium Miſſae celebratur ſoli Sacerdotes conſiſtere debent (c). Quae Lex ſeverius apud Graecos fuit reſervata. Unde conqueritur Balſamō adverſus Latinos, quod Laici & Mulieres Sanctum Tribunal ingrediantur, & in eo ſedeant. Pravus certe mos, qui noſtris temporibus non ſine infamia totius Cleri, immo ipſius Omnipotentis Dei contemtu inolevit. Tanta & tam temeraria eſt impudentia multorum, & maxime feminarum, quae quanto propius ad Altare adcedunt, tanto citius a Deo putant exaudiri.

Te quidem, Sapientiſſime Archiepiſcope, ſatis laudare non poſſum, quod Sanctum hoc Inſtitutum ſeveriſſime cuſtodiſti. Quid ni? Tibi videlicet ſolus Dei honor cordi eſt, & puritas Eccleſiſticae Diſciplinae. Per ut gecaepiſti, Dioeceſim tuam, immo totam Provinciam vitiorum ſentibus purgare, vineamque Domini, qua maxima par eſt diligentia, colere, nam immortalis Corona, & Proemium te manet.

SES-

(a) *Can. 3. cauſſ. 23. quaeſt. 8.*
(b) *Secunda ad Timot. Cap. 2. v. 4.*
(c) *Cap. 1. de Vit & honeſt. Cleric.*

SESSIO III.

De Clericorum Reformatione.

CAP. I.

De Vita, & Honestate Clericorum.

I. QUum quae omnia usque adhuc in praesenti Synodo acta sunt tam de iis, quae ad Religionem spectant, quam de recta Sacramentorum administratione, ac susceptione summopere ad mores componendos, & Ecclesiasticam Disciplinam restaurandam conducere, manifestum sit; attamen nulli dubium esse potest, ad id facilius, ac plenius adsequendum potissimum collimare Clericorum recta institutio, ac Disciplina, circa quas praecipuam Ecclesiastici Regiminis politiam versari dignoscitur; sic enim fit, ut qui sortem Domini in Ecclesiastica Hierarchia nacti sunt, ceteris praeluceant, & excellant tamquam lucernae super Candelabrum, ut Populi videant opera bona, & glorificent Patrem, qui in Coelis est. Hinc propterea ad Synodalem hanc Actionem perfecte complendam de Clericorum Reformatione in Tertia hac sessione agere operae pretium erit.

II. Cleri nomen, a quo Clerici, latissime Ecclesiam omnem complectitur, seu Christianos universos, juxta (*a*) Apostolum ad Colossenses, qui sortis Domini digni facti sunt: hic tamen Cleri nomen strictius sumitur pro iis, qui ad specialem sortem ministerii vocati sunt (*b*), quique sublimi Ecclesiastici Ordinis dignitate insigniti, verius ab Apostolo Petro (*c*) Genus electum, Gens Sancta, Populus acquisitionis, Regale Sacerdotium vocati sunt. Qua de re nihil est, quod

(a) *Ad Colofs. Cap. 1. v. 12.*
(b) *Cod Theod. de Episc. & Cler. cap. 1. Decretal. hoc tit.*
(c) *Epist. 1. cap. 2.*

quod magis ceteros Christi Fideles ad pietatem, & Dei cultum revocet, quam eorum vita, & exemplum, quum enim (*a*) a rebus Saeculi in altiorem sublati locum conspiciantur, in eos, tamquam in speculum, reliqui oculos conjiciunt, discentes quod imitentur: ac propterea ordinatissimos esse decet, ut D. Bernardus ait, ex quo praecipue in omnem Ecclesiam Cleri forma processit, sicut concordi calamo Sancti Canones ubique clamant, quorum doctrinam salubriter sancitam, omnino, & adcurate servari statuit Sacrum Concilium Tridentinum (*b*) a locorum Ordinariis, omni adpellatione remota, non obstantibus Consuetudinibus quibuscumque, ne neglectae subditorum emendationis rei condignas, Deo vindice, poenas persolvant,

III. Clerici igitur quum sint Ministri Christi, & dispensatores mysteriorum ejus, Christi quoque bonus odor esse oportet, ut jugi virtutum omnium exercitio ad Deum Laicos adducant, quorum Pastores, & Duces effecti sunt: ipsi sunt (*c*) Sal Terrae, per quos sunt condiendi quodammodo Populi, ac peccatorum putores extinguendi: ipsi sunt lux Mundi, per quos illuminandi sunt ii, qui in tenebris, & in umbra mortis sedent; ipsi quoque sunt Civitas supra Montem posita, in quam praetereuntium oculi sedulo figunt obtutum. Intelligant proinde quantum sit hujus disciplinae pondus, quae perfectio virtutum, quod Sanctitatis exemplum ad illud sustinendum requiratur, quum levia quoque delicta (*d*), quae in eis maxima essent, ita effugere debeant, ut eorum actiones cunctis adferant venerationem, & Leges illas, quae ad Sacrorum Canonum normam de eorum vita, morumque honestate subsequuntur, alacrius, sanctiusque servare studeant.

IV. Et quoniam hujusmodi Ministros Christi pietate erga Deum

(a) *Conc. Trid. Sess. 22. de Reform.*
(b) *Loc. cit.*
(c) *Matth. cap. 5., S. August. lib. 1. de Serm. Dom. in Monte cap. 6.*
(d) *Conc. Trid. Sess. 23. de Reform. cap. 11.*

Deum potissimum praefulgere debent, ideo Sacerdotes omnes, & singulos cujuscumque sint gradus, dignitatis, ac conditionis hortamur, & per viscera Misericordiae Dei nostri obsecramus, eisque etiam mandamus, ut Dominicis saltem, & reliquis festis diebus, nisi jure impediantur, Missam celebrare non omittant; Clericos omnes tam in Sacris, quam in minoribus Ordinibus constitutos, ut quotidie Missae Sacrificio religiose intersint, & cunctis Dominicis diebus, vel saltem quindenis quibusque diebus, & solemnioribus Festis Poenitentiae Sacramento rite expiati, Sacra Eucharistia reficiantur, omni, qua decet, reverentia, & devotione, & in festis solemnibus in Missa Conventuali coram Populo superpelliceis induti, & in Sacris constituti quoties Altari solemniter ministrabunt, alias ad altiores Ordines non admittentur; ac proinde renuentes distincte a Rectoribus Ecclesiarum adnotentur, & ad Nostram notitiam deferantur. Mentali orationi sedulo vacent, Verbum Dei frequenter audiant, & Ecclesiae, cujus servitio adscripti sunt, fideliter serviant. Ex Sacrae Scripturae, piorumque Librorum lectione, virtutum documenta, & exempla avide addiscant. Sacra Templa frequenter invisant; Divinae Eucharistiae sint cultores, ipsiusque quotidianae Visitationi incumbant; eamdemque, cum ad aegrotos defertur, religiose comitentur; & in Sacris obeundis functionibus frequentiam suam, diligentiamque desiderari non sinant; recogitentque, se Deo servire, non Mundo; quodque secundum Apostolum (a) haec sit Voluntas Dei, Sanctificatio nostra.

V. Hortamur etiam, & in Domino enixe rogamus Presbyteros omnes, & praesertim Confessarios, Parochos, Dignitates, ac Beneficiatos, ut ad octo, vel decem dies quotannis in Religiosum aliquem locum secedant, in quo Exercitiis Spiritualibus vacent, ac piis meditationibus animum excolant, quae ad perfectam vitam Ecclesiasticam componendam,

(a) *Ad Corinth. cap.* 10.

dam, ac ſtabiliendam mirabiliter conducunt, ad normam Epiſtolae encyclicae juſſu Clementis XI. ad Italiae, & adjacentium Inſularum Epiſcopos datae, qua, praeter plenariam peccatorum indulgentiam iis conceſſam, qui per decem dies Exercitiis Spiritualibus vacent, ac vere poenitentes, & confeſſi Sacra Communione reficiantur, fit etiam facultas Parochis, ceteriſque Choro adſcriptis, ut ſemel in anno (extra Adventum tamen, Quadrageſimam, ac ſolenniores dies) ſi in his Spiritualibus Exercitiis, Noſtra accedente licentia, occupentur, pro eo tempore a reſidentia abſoluti intelligantur, & fructus, ac diſtributiones quaſcumque, perinde ac ſi intereſſent lucrari valeant.

VI. Quum vero juxta (a) Concilium Aquiſgradenſe doctrina ſine vita Clericum contemtibilem reddat, & vita ſine doctrina inutilem faciat; Clericorum vitam non minus ſcientia, quam converſatione integram eſſe, ac laudabilem decet; & ſane ignorantia, quae vix in Laicis toleranda eſt, in Eccleſiaſticis, quorum (b) labia cuſtodire debent ſcientiam, nec excuſatione digna eſſe videtur, nec venia. In optimis itaque ſe ſtudiis, Sacriſque Litteris diligenter exerceant, Sacros Ritus, Rubricas, & Coeremonias calleant, Cantumque Gregorianum addiſcant, ut Divina munia in Eccleſia cum pietate ſimul, ac Majeſtate obire poſſint. Morali praeſertim Theologiae, ac Juri Canonico ſtrenuam dent operam; Caſuum Conſcientiae collationibus, & Sacrae Scripturae lectionibus aſſidue interſint; mutuos etiam inter ſe ſermones miſceant de iis, quae ex optimorum Librorum lectione didicerunt, eamque ob cauſſam hujuſmodi Librorum aliquem ſaltem habeant delectum, ac omnino quiſque in Sacris Ordinibus conſtitutus Sacram habeat Scripturam, Concilium Tridentinum, ejuſque Catechiſmum, ac probatum aliquem Thologiae Moralis Auctorem, & has Synodales Conſtitutio-

nes,

(a) *Conc. Aquiſgradenſ. anni 816. Can. 20.*
(b) *Malach. cap. 2.*

nes, postquam illae fuerint legitime promulgatae, at typis datae; Parochi vero praeter ea, alios sibi comparent Libros, qui de Animarum cura, ac de verbo Dei fideliter, recteque administrando pertractent. Caveant tandem ab iis studiis, quae vana, & Ecclesiastico Viro prorsus indigna a cordatis hominibus existimantur.

VII. Et quia Gens Sancta interiori cordis adfectu Christum induta, exteriori quoque Corporis cultu conspicua esse debet, quamvis enim habitus non faciat Monachum, ut vulgare fert proverbium, oportet tamen, Clericos vestes proprio congruentes Ordini semper gestare, ut per decentiam habitus extrinseci morum honestatem intrinsecam ostendant; exterioris namque indumenti honestas, veluti tessera Clericalis debet esse militiae, neque audiendi sunt, qui vane asserunt: num de vestibus cura est Deo, & non magis de moribus? Quibus optime respondet D.Bernardus (a): *Forma haec vestium deformitatis mentium, & morum indicium est.* Et quamvis in Ecclesia certam non habemus Clericorum vestiendorum formam; attamen ex iis, quae variis temporibus a Sacris Canonibus sancita sunt, hanc generalem possumus regulam efformare; nempe quod Clerici a vestibus elegantibus, & sumtuosis, habitu inhonesto, & nimio ornatu debeant abstinere; nam juxta Sanctionem Concilii Carthaginiensis (b), Clericus professionem suam & habitu, & incessu probare debet, & ideo nec vestibus, nec calceamentis decorem quaerere; unde merito in Lateranensi IV. (c) interdicitur Clericis quivis indumenti luxus, simulque praecipitur, ne nimis longa, vel nimis brevi utantur veste, nec pannis rubris, vel viridibus, cui consonat Concilium Basileense. Hac autem tempestate alium, quam nigrum colorem usurpare non debent juxta morem multis ab hinc saeculis in Ecclesia Occiden-

P 2 tali

(a) *Lib. 3. de consid. cap. 5.*
(b) *Can. 45.*
(c) *Can. Cler. dist. 42. Cap. Clerici dist. 23.*

tali ſervatum. Quare praecipimus, & mandamus, ut quicumque Clericali nomine cenſentur ſive in Minoribus, ſive in Sacris Ordinibus conſtituti, & cujuſcumque dignitatis, vel conditionis ſint, & praeſertim Beneficiati, veſte nonniſi nigri coloris utantur, ſuperioreſque veſtes, ideſt tunicam, mantellumque, quod illam omnino adaequet ad talos uſque habeant demiſſas, prout uſque adhuc in tota hac Dioeceſi laudabiliter in more poſitum eſt, Sacramenta potiſſimum adminiſtraturi, Sacra facturi, aut Divina perſoluturi in Eccleſiis ſive Saecularium, ſive Regularium, alias tam ipſi, quam Sacriſtae, ſive Eccleſiarum Rectores, id permittentes, poenam ſubibunt condignam noſtro arbitrio infligendam. Hujuſmodi vero veſtes talares nulla ex parte interiorum indumentorum conſpectum praebeant; quas etiam oportet eſſe ſimpliciſſimas ſine quopiam ornatu, & humilitati Ordinis conſentaneas, mundas tamen, non laceras, non ſciſſas; ut enim nimia elegantia ſuperbiae, & elati, aut luxuriantis hominis eſt indicium, ita enormis vilitas, foeditaſque, deſpectum, & contemtum Ordinis parit. Caligae quoque nigrae ſint, aut alterius fuſci coloris. Calcei e nigro corio, ac nulla affectata inciſione elaborati, & modeſtis fibulis alligati, quae oculos praetereuntium ad ſe non trahant; ita pariter nigro pileo modeſte adligato, cui tantummodo purus circumductus cinculus ſufficiat ad ejus ornamentum, & collaribus pariter ſimplicibus, & mundis utantur, nec coloratis zonis depictis; qui vero Clericalibus privilegiis gaudere cupiunt, ſervent omnino requiſita Sacri Concilii Tridentini, & Concordatorum Regio-Apoſtolicorum geſtando habitum, & tonſuram, & Parochiali ſuae, ſive alteri Eccleſiae inſerviendo, cui fuerunt adſcripti, ſcandala, & indecentia miniſteria devitando; & habitum ob Matrimonium, Mercaturam, vel alia hujuſmodi, aut etiam per liberam renunciationem demiſſum, Nobis inconſultis, reaſſumere non audeant, & quatenus reaſſumſerint Clericorum privilegio non gaudeant,

nec

nec Ecclesiasticis Ministeriis se intrudant sub poena excommunicationis.

VIII. Breviores vestes nigras, vel alterius modesti coloris extra Urbem, & extra Oppida iter facturis, ruri degentibus, vel campestria petentibus indulgemus, dummodo hujusmodi vestes sint infra genua demissae, non apertae, non inaniis exornatae, non lacerae, non inquinatae, non sordidae, & ab omni ostentatione quam longissime absint, & propterea Clericis omnibus cujuscumque sint Ordinis interdictum volumus, ne varias, & immodestas in vestibus ullatenus retineant Laicales (quae hac tempestate increbescunt) consuetudines, ne juxta Isaiam: *sit sicut Populus, sic Sacerdos*); qui contra fecerit incurrat poenas, quas Nostrum, pro modo contumaciae, infligat arbitrium; & sub eisdem inhibemus poenis, ne comam nutriant, neque fictitiam absque legitima licentia adhibeant; sed omnes (*a*) tonsuram, & coronam conspicuam ordini suo congruentem ferant: non calamistrati, neque longiores sint crines, sed ita tonsi, ut aures pateant: *Qui enim ad sortem Domini vocatus comam nutrit*, inquit S. Augustinus, *& capillos radere, vel tondere erubescit, profecto se non de Dei, sed de Mundi sorte esse testatur*. Annulos quoque non gestent illi, quibus ex dignitate jus non est, neque ab eorum collo, vel ante pectus aliquid pendeat, quod aut vanitatem, aut ambitionem ostendat, sub poena amissionis annuli (*b*); Sacerdotem *enim annulatum aut fatuum esse, aut Praelatum* jocose dixit non obscuri nominis Canonista Joannes Andreas; & sane Episcopus annulum praevia benedictione, & per manus Episcopi Consecratoris, per quem Spirituales Nuptiae cum Ecclesia designantur peculiari ritu accipit, eoque idcirco utitur ad Aram.

IX.

(a) *Can. non liceat, & Can. tonsura dist. 23. Clement. ultima de vita, & honest. Cleric.: S. August, de con. Mun.*

(b) *Can. Clerici 2. de Vita, & honest. Cleric., Conc. Latern. 4. Can. 12. S. C. Rit. 13. fol. 1621.*

IX. Quum nequeant virtutes induci, nisi vitia, quae callide blandiri solent, radicitus evellantur; idcirco quibus Clericalis sors obtigit, dent operam, ut nihil non vitiosum, leve licet eis videatur, & sit, sedulo evitent; comessationes igitur (a), & compotationes omnino caveant; ebrietas enim mentis inducit exilium, & libidinis provocat incentivum juxta Apostolum (b): *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria*: Quare in Concilio Lateranensi damnatur omnino abusus calicibus certandi, ita ut ii plus laudentur, qui foecundiores exhauriant calices, & Clerici hujusmodi crapulosi, & ebrietate ferventes, eodem Sancto dictante Concilio (c) a beneficiis, & Officiis suspenduntur, vel corporali subjiciendi supplicio, aut quadraginta dierum spatio a Communione segregandi; Quapropter eadem poena a Nobis punientur.

X. Chorearum (d) ductus, & profana omnia joculatorum, histrionum, circulatorum, aliaque hujusmodi spectacula scoenica, quae lascivos ignes humanis cordibus subjiciunt, per quae turpes, foedasque labes Clericale suscipit nomen, Clerici omnes prorsus effugiant; epulis nuptialibus abstineant, neque similibus, quae in lubrico positae sunt celebritatibus, ac ludis, & cantilenis vacent; noctu ne vagentur cantibus, & lusibus operam dantes, neque Laicos sic discursantes sequantur, & comitentur, personati nullo umquam tempore incedant. Caupones, & Tabernas, quae intemperantiae, ut plurimum, & incontinentiae Seminaria sunt, nec ingrediantur; excipimus tamen iter longius habentes, aut ad eas ex necessitate divertentes. Arma cujusvis generis neque de nocte deferre, eisdem ullatenus liceat; quum arma Clericorum esse tantummodo debeant Orationes, & lacrymae, ut ait Ambrosius ad Marcellinam: Aleis, aut taxillis ludere non

(a) *Ex Conc. Later.* 4.
(b) *Ad Ephes.* 18.
(c) *Conc. Later.* 4. *Can.* Crapula 14. *hoc tit.*
(d) *Conc. Mediol.* 1. *part.* 2. *tit. de Cleric. vestitu*. *Conc. Mogunt.* 4. *cap.* 74.

non audeant; neque ludi vulgo dicti a *palla*, ed a *bocce*, nisi in remotis locis, & inter Ecclesiasticas tantum personas eis permittuntur. Si quis non paruerit luet poenas, quas Nostrum, pro modo culpae decernet arbitrium.

XI. Clerici omnes tam in Sacris, quam in Minoribus Ordinibus constituti, vel Primae Tonsurae insigniti, abstineant ab illis venationibus, quae a Sacris Canonibus (*a*) sunt vetitae, sciantque, Canes, aut Accipitres ad venandum alere non posse; qui autem in aliqua ex praedictis delinquere deprehensus fuerit, ultra poenas statutas in dictis Sacris Constitutionibus, alias arbitrio Nostro luet.

XII. Quumque nemo Deo militans se negotiis Saecularibus implicare debeat, ut ei placeat, cui se probavit, ut ait Apostolus (*b*), *& nemo possit* (*c*) *duobus Dominis servire Deo, & Mammonae*: Ideo nullum mercaturae genus, aut illicitas negotiationes exerceant Clerici; & contravenientes poenis a Sacris Canonibus inflictis puniētur (*d*): aliena praedia, vectigalia, redditus, et gabellas non conducant; neque ullo pacto directe, aut indirecte communicent cum Conductoribus, nec res, quae ad victum, vel vestitum pertinent, emant, ut carius vendant, alias poenam heic supra indictam luent, ac propter eamdem ordinis a profanis rebus abdicationem in aliorum tutelis (*e*) Clerici minime se intromittant, licet Tutores sint instituti, nisi pietatis caussa, nullamque spondeant Fidejussionem, nisi quae fiat pietate, vel misericordia suadente; ad querelas etiam citra poenam sanguinis in quolibet laicali Foro non deveniant, nec in eo testimonium perhibeant, nisi a Nobis impetrata in scriptis facultate gratis concedenda. Notariatus, aut Tabellionatus munus in

Foro

(a) *Can.* non oportet *de Consecr. dist.* 5., *& cap.* 12. *de Cleric. venat. Concil. Later.* 4. *cap.* 15., *Concil. Tolet.* 17. *cap.* 8.

(b) *Ad Timoth. cap.* 2.

(c) *Matth. cap.* 6.

(d) *Constit. Honorii III. incipiens* ex litteris, *Concil. Trid. Sess.* 22. *cap.* 1. *de Ref.*

(e) *Cap.* 1. *& fin. dist.* 88.

Foro Saeculari non suscipiant (a) ; neque in eo Procuratoris, sive Advocati munus, neque in Civilibus, neque in Criminalibus, nisi pro concordia exerceant, vel in caussis Ecclesiarum, vel miserabilium personarum, aut suis, suaeque domus, nulla tamen recepta, vel pacta mercede. Jurisdictionemque laicam eisdem exercere non permittitur (b) ; in caussis autem Civilibus, in quibus jurisdictionem habent, vel ubi sunt Arbitri constituti eis judicare licet. A Medicinae, et Chirurgiae exercitio, nisi legitimis et opportunis privilegiis, et facultatibus sint suffulti arceantur, et Laicis inservire in vilibus domus exercitiis, aut etiam feminarum tametsi Nobilium obsequiis mancipari Clericis omnibus, et Sacerdotibus praecipue indecens, et incongruum Sacra Congregatio Episcoporum Literis Encyclicis sub datum Romae decimo Martii 1697., declaravit ; proindeque feminarum quarumcumque Clerici omnes nec anteambulones, nec affeclae sint, neque eas legere, canere, aut quodcumque musicum instrumentum tractare doceant, sub poenis arbitrio Nostro decernendis.

XIII. Quum omne, et quodcumque incontinentiae periculum, ac suspicionem vitare Clerici teneantur ; nam quamvis aurum rubigo non exedat, inficit tamen ; ita ut satis non esse videtur, ipsos sibi innocuae vitae conscios bene esse, si apud homines insuper testimonium, continentiae, et castitatis exhibere non conentur, ad quod servandum adprime conducit recessus a mulierum consortio, earumque cohabitatione, quam sub severissimis poenis iisdem Clericis Sacri Canones interdixere: *Sacerdotes cum foeminis habitare conspicio* (conquerebatur Gregorius Magnus) (c) *quod nefarium est dicere, & audire, ac contra Sacrorum Canonum sancita;*

(a) *Cap.* Sacerdotibus, *ubi Glossa, ne Clerici, vel Monachi Clement. unica de Vita, & honest. Cleric. cap. 1. de postul.*
(b) *Cap.* eos *qui semel 20. quaest. 2.*
(c) *Relat. in Can.* oportet *dist. 31., cui concordat cap.* hospitiolum *dist. 32.*

cita; ubi enim talis fuerit cohabitatio antiqui hostis stimuli non desunt. Nos igitur ad mentem Sacrorum Canonum omnino interdicimus sub poena ducatorum quinquaginta Clericis omnibus cohabitare cum mulieribus, nisi cum Consanguineis in primo, et secundo gradu, vel affinibus in primo dumtaxat gradu, vitaeque irreprehensibilis, quae omnem suspicionem excludat, saltem quoad earum pedissequas (a), et dummodo in eodem cubiculo non cohabitent; quod si alias in conturbernium admiserint ex Sacris Canonibus, et Decretis Tridentini Concilii (b), culpae non impares de ipsis sumentur poenae; et sub eadem supradicta poena omnibus edicimus, ut mulierem nullam sub quovis etiam ancillae, seu famulae nomine domi admittant, nisi quinquagenariam, et probatae famae, et nisi a Nobis, vel Generali Nostro Vicario (praevio Parochi testimonio de moribus, aetate, et vita non suspecta, justisque de caussis adsciscendae famulae serio examinatis) indultum fuerit, neque pariter mulierum suspectarum domos adeant, vel cum ipsis familiariter versentur neque domos, aut proprias, aut ad earum Ecclesias pertinentes, impudicis feminis aut suspectis, et infamibus personis locare audeant.

XIV. Ceterum quum Clerici omnes sive in minoribus, sive in Sacris Ordinibus constituti, vel in ordinum susceptione, vel quum aliquo fuerint beneficio provisi; aut Cathedralis, aut alterius Nostrae Dioecesis Ecclesiae servitio sint adscripti, ubi suis fungantur muneribus (c), nec incertis vagentur sedibus locum, Nobis inconsultis, non deferant: secus enim ad ulteriores Ordines non promovebuntur. Sacerdotes vero quamquam nullum habeant beneficium, quod residentiam postulat, Nostram tamen Dioecesim non relinquant, nisi petita a Nobis venia, literas Nostras testimoniales, quas

Q *Di-*

(a) *Monit. ad Cler. S. Caroli Borrom.*
(b) *Conc. Carth. 3. cap. 3. Trid. Conc. Sess. 21. cap. 14. de Reform.*
(c) *Conc. Trid. Sess. 23. cap. 8. de Reform.*

Discessus vocant, obtinuerint: contrafacientes poenas a Tridentina Synodo *(a)*, aliisque Pontificiis Constitutionibus adversus hujusmodi inobedientes, et contumaces constitutas subibunt. Qui vero a Dioecesi suis rebus consulturi exire exoptant, licentiam ipsam a Vicariis Foraneis obtineant, si triduum absentia sit duratura, si diuturna a Nobis, ut supra, exquirant, quae non concedatur, nisi scriptum dicti Vicarii Foranei testimonium produxerint, quod citra fraudem discessuri alio proficiscantur. Dignitates, Canonici, ac Beneficiarii omnes tam hujus Nostrae Cathedralis, quam Collegiatarum Dioecesis, quoad personalem residentiam, et Chori servitium diligentissime servare praeterea teneantur *(b)* Capitulares constitutiones, necnon Sanctorum Pontificum, ac Sacri Concilii Tridentini *(c)* de hac re ordinationes. Parochi vero in memoriam revocent tria illa Concilii Tridentini Decreta, quorum primo statuitur, ut personaliter in Ecclesiis suis resideant, neque greges sibi commissos mercenariorum more deserant: secundo ut licet ipsis per duos menses abesse quotannis a Concilio Tridentino concedatur, non tamen abesse possint, nisi discedendi licentiam in scriptis ab Episcopo obtinuerint, & Vicarium idoneum ab ipso Episcopo adprobandum cum debita mercedis adsignatione relinquant; tertio, ut absque legitima caussa, & sine Ordinarii licentia non residentes, praeter peccati mortalis reatum, quem incurrunt, pro rata absentiae fructus non faciunt suos, eosque etiam alia declaratione non sequuta, restituere tenentur. Quum igitur non ignoremus, quam noxia Populo semper sit Pastorum absentia, sciant omnes futuros nos esse dictorum Decretorum custodes vigilantissimos, & Canonicarum poenarum exactores severissimos, immo Populorum saluti, et commodo consulere volentes, inhoerendo etiam Constitutionibus Synodalibus

[a] *loc. cit.*
[b] *Trid. Conc. Sess. 24. cap. 12. de Reform.*
[c] *Trid. Conc. Sess. 6. cap. 1., & Sess. 23. cap. 1. de Reform.*

libus Praedecessorum Nostrorum, Parochis omnibus, aliisque curam Animarum habentibus praecipimus, et mandamus sub poenis pro modo culpae arbitrio Nostro, juxta tamen Sacros Canones infligendis, ut etiam si rationabilis caussa adsit, idoneusque constitutus fuerit ab iis Vicarius a propriis Ecclesiis absque Nostra, sive Nostri Vicarii Generalis licentia ultra biduum non absint (a). Quod si forte, ob aliquam gravem, ac necessariam subito abscedendi necessitatem, petere ante discessum licentiam non potuerint, per Epistolam statim petant, caussamque discessus exponant, ut Nos, re discussa, utrum concedenda sit, an deneganda licentia diuturnioris absentiae a propria Parochia, dijudicare possimus.

XV. Quum itaque Clericorum vita omnibus recte vivendi norma esse debeat, eos hortamur, & quantum possumus in Domino monemus, ut nihil, nisi sanctum faciant, cogitent, ac loquantur, ut omnia eorum gravitatem, honestatem, modestiam, mansuetudinem, ac pietatem redoleant, memores eorum conversationem quodammodo coelestem ab Apostolo desiderari, ac in Sacris paginis Sacerdotes modo Deos, modo Angelos vocari, & tamquam Divinae Majestatis Ministros in terris ejus vices gerentes esse; ideoque valde indecorum est Clericos, & praesertim Sacerdotes, qui majori pollent dignitate, quique, inter vestibulum, & Altare assidue plorare, & dicere debent: *Parce, Domine, parce Populo tuo*: Otiosis confabulationibus dispersos in capite omnium Platearum, cachinnis, solutisque lusibus, quae organa sunt fatuitatis, operam dare; Quapropter quantum fieri potest a Plateis, publicisque conventibus, & a conviciis, detractionibusque se abstineant, praesertim, ne ansam Laicis praebeant maledicta in eos effutiendi, sed lectioni Spiritualium librorum, vel ad Sacros ritus, & Clericalem Disciplinam spectantium, sepositis inanibus, & lascivis, ut supra animadversum est, sedulo, crebroque vacent, & quod supererit temporis

Q 2 seor-

[a] *S. C. Conc. in Treviren.* 11. *Feb.* 1628.

feorfim a turba, honeftae converfationi impendant, ne vituperetur minifterium eorum, immo haereditatem ejus, qui eos elegit, adipifcere poffint; quod fi qui fecus fecerint, & quae de eis in praefenti Synodo fancita funt, non obfervaverint, rigidiorem Noftram experientur indignationem, poenafque fupra comminatas irremifibiliter luent.

XVI. Declaramus tandem, quod ea, quae in hoc titulo fancita funt de Clericis, ab omnibus Ecclefiafticis perfonis quovis Ordine, vel Dignitate infignitis fub eifdem poenis obferventur.

CAP. II.

De Capitulo, & Canonicis.

QUoniam, qui alios dignitate praecellunt, illos quoque virtutibus praeire neceffe eft; nam in eos, tamquam in fpeculum, ceteri oculos conjiciunt, ut fumant, quod imitentur, quumque extra omnem dubii aleam fit prae reliquis Clericis, honore praeftantiores effe Canonicos; qui adjutores Epifcoporum, Ecclefiae Senatus, & Cleri regula conftituuntur, ac ab Epifcopis honorifico *Venerabilium Fratrum nomine nuncupantur*; hinc propterea eorum vita, ac mores omnibus exemplar effe debent religionis, continentiae, & humilitatis: id autem praeftabunt, fi quae fuperius pro reliquis Clericis decreta funt, adcuratius, diligentiufque obfervabunt, & non modo exteriori habitus decentia, fed morum potiffimum probitate, & gravitate praefulgeant; Si nihil reprehenfibile; immo ne leve quidem, aut indecorum admittant, fi nimiam cum Laicis familiaritatem vitent, fi in locis publicis non otientur, fi a vanis, fcurrilibufque fermonibus abftineant, fi denique enixe curent, ut nulla ex parte vituperetur eorum minifterium. Fraterno etiam fe invicem amore profequantur, prout eos in Domino hortamur.

II.

II. Quod ad residentiam adtinet, praesertim in Choro, ejusque disciplinam, diurnam Psalmodiam, Divinorumque Officiorum celebrationem, Capitulares Constitutiones, & quae superius in praesenti Synodo de Horis Canonicis, & de Vita, & honestate Clericorum statuimus, diligentissime observent sub poenis inibi expressis.

III. Quum pro bono Ecclesiarum regimine in Spiritualibus, & temporalibus peragendis negotiis Capitulum frequenter haberi sit consonum; idcirco praecipimus, ut a Canonicis tam Cathedralis, quam Collegiatarum, saltem quater in anno, nisi necessitas saepius expostulet, scilicet de mensibus Januarii, Aprilis, Julii, & Octobris Capitulum celebrari curetur, & dum celebrandum erit ipsum Capitulum, per diem ante adfixa maneat in Sacristia schedula a digniore ipsius Capituli praesente efformanda, & subscribenda, in qua adnotentur res, de quibus erit tractandum, et in ipsa antecedenti die de sero pulsetur Campana, repetenda etiam die sequenti more solito; idque fiat pariter, quoties extemporaneum erit cogendum Capitulum pro aliquo explicando negotio. Capitulum vero nunquam habeatur tempore, quo celebrantur Divina Officia, sub poena in singulos amissionis distributionum per hebdomadam adplicandarum iis, qui Choro intersunt, praeter nullitatem ipsius Capituli.

IV. Quod fuerit Capitulo propositum, ita resolvatur, ut in quolibet actu Capitulari vota per suffragia secreta exquirantur, adhibitis duobus signaculis albo, & nigro per quemlibet Capitularium in gemino vase ad hoc per Punctatorem, vel alium Capitularem circumferendo imponendis, ita ut, quae in albo adfirmantia, et quae in nigro reperientur, negantia reputabuntur; quodque majori suffragiorum numero resolutum fuerit, Secretarius Capituli in libro Conclusionum statim describet, et non in foliis volantibus; & quae sic describentur, ante dimissionem Capituli legantur, omnesque praesentes in Capitulo subscribant Conclusioni, ii

etiam

etiam; qui contrariae fuerint sententiae, salva tantum eis protestandi facultate in eodem pariter libro; omnia tamen, juxta Apostoli (*a*) monitum, in Caritate fiant, totumque studium, privatis posthabitis cupiditatibus, ad Ecclesiae utilitatem, ac decorem conferatur, et quisque suo ordine sedeat, suamque sententiam modeste, ac sine strepitu, neque jurgiis, aut scurrilibus verbis proferat; quod si quis secus fecerit, per Praesidentem in Capitulo condigna poena multetur, vel ad Nos deferatur, ut in illum, prout juris est, animadvertere possimus; nihilque in posterum, votis non requisitis, agatur, sub poena nullitatis actus, nisi forte omnes, nulloque penitus discrepante, aperte idem senserint.

V. Litterae Capituli nomine scribendae nunquam mittantur, ipso Capitulo inconsulto, ac prius registrentur, et signentur, sigillo ipsius Capituli a Secretario fideliter custodiendo, neque mandata procurationis ad aliquod pertractandum negotium omnino expediantur, nisi praevia conclusione Capitulari, alias pro nullis habeantur; quique id facere attentaverit, poenam librarum viginti cerae albae elaboratae solvat, nec non sub eadem poena, aliisque arbitrio Nostro infligendis, prohibemus Dignitatibus, Canonicis, ceterisque de Capitulo tam hujus Cathedralis, quam Collegiatarum testimoniales litteras pro quocumque, aut adversus quemlibet edere; nisi calatis Comitiis, et per secreta suffragia dandas fore, saltem majoris partis consensu conclusum fuerit.

VI. De quacumque re si unus tantum, sive Dignitas, sive Canonicus, aut Presbyter de Capitulo petat votari per suffragia secreta per bussulam, omnino ita fieri debeat, sub poena contradicenti librarum viginti cerae albae elaboratae, & nullitatis actus.

VII. Capitularia negotia extra Capituli locum non concludantur; quod si secus evenerit, decretum fuisse nullum, declaramus, et contrafacientes arbitrariis poenis puniantur.

VIII.

(a) *Ad Corinth. cap. 16.*

VIII. Quum in Capitulo agendum erit de alicujus Capitularis, vel ejus domus negotio, tunc is, et quisque ei primo consanguininatis gradu conjungitur, nedum suum ferre suffragium, verum et ipsius Capituli coetui interesse non permittantur, alias actus sit ipso jure nullus.

IX. Procurator, aliique Capituli Officiales singulis annis per secreta suffragia eligantur, neque in posterum illorum confirmatio fiat, nisi praevia conclusione Capitulari per eadem secreta suffragia; nec electi munus recusare valeant absque caussa ab eodem Capitulo, & a Nobis adprobanda, sub poena ducatorum decem piis usibus adplicanda. Quumque in quolibet Capitulo paria fuerint vota, superior dirimat paritatem, alicui ex sententiis sibi melius visae inhaerendo; major quippe votorum pars est, quae saltem uno medietatem vocalium excedit praesentium.

X Qui de Capituli hujus Cathedralis gremio erunt, per Nos, aut per Capitulum, juxta Sacri Concilii Tridentini statutum ad Seminarii curam delecti omnem solicitudinem, atque Zelum erga illud habeant, & Nobis quidquid eis magis in Domino pro illius utilitate, ac meliori regimine expedire videbitur, facile aperiant; nam nihil intentatum relinqui volumus, quin Clerici inde doctrinae, & moribus commendabiles prodire possint.

XI. Punctatores proprio muneri, atque oneri exacte satisfaciant, cui juramento praestito, detinentur, collusione quavis, aut humano respectu posthabito. Ne vero in discernendis casibus, in quibus Choro addicti punctandi sunt, vel e contrario, dubio aliquo, aut perplexitate turbari contingat, ac haesitare Edicto de Chori Disciplina alias edito in Sacrario publice detinendo, ceterisque supra statutis in capite de Horis Canonicis conformentur, alias praeter reatum, quem coram Deo incurrent, condignas poenas a Nobis, pro modo eorum negligentiae infligendas non effugient.

XII. Qui inter Canonicos majoris Sacristae munia exer-

cet.

cet, omnia curet exacte, quae ad ipſum pertinent, adimplere; Sacrorum Vaſorum, & indumentorum, totiuſque Eccleſiae theſauri, & Sacrarum in primis Reliquiarum curam gerat, minorum Clericorum miniſteria diſponat. Aquam, vinum, hoſtias, ceteraque utenſilia ad rem ſacram neceſſaria, munda, pura, & in promtu eſſe curet: Altaria pro temporum ratione a majoribus, minoribuſque Clericis ornari, ac continuo perpoliri, & a pulvere, & ſordibus mundari, aquam luſtralem ſingulis hebdomadis renovari, Eccleſiam mundari, & quater ſaltem in anno ſolemnioribus Feſtis imminentibus, aranearum telis, ac pulvere ejus parietes, ſordibuſque ipſius pavimentum jam nuper a Nobis renovatum, ac adfabre exornatum marmoribus, lateribuſque depictis liberari facere non omittat, ut Eccleſia ipſa ſemper, tamquam Sponſa ornata Viro ſuo, adpareat. Miſſarum celebrationem opportune, maxime feſtis diebus diſtribuat, & una ſaltem ſummo mane, altera vero circa meridiem, quantum fieri poterit, celebrentur, invigilet: Et ut in Sacrario neque ſtrepitus fiat, neque de inutilibus, profaniſque rebus miſceantur ſermones, ſed debitum ſervetur ſilentium, prout Sacros Miniſtros decet Divina Myſteria, vel Eccleſiaſtica Officia celebraturos; confabulationes quoque, ac irreverentias a domo Dei, reſpectu quolibet ſepoſito, viriliter arceat: Lampadeſque potiſſimum ante Altare SS. Sacramenti, illudve S. Apoſtoli Andreae in crypta, quas ipſe alere tenetur, ut accenſae colluceant ſemper, omni ſtudio curet. Horarium denique a Nobis pro Divinis Officiis celebrandis, illorumque celebrationem Campani aeris ſono denunciandi adamuſſim ſervet, ac ſervari faciat ſub poenis arbitrio Noſtro.

XIII. Caeremoniarum Magiſter Sacras functiones diligenter, & ad Caeremonialis praeſcriptum, & Eccleſiae Conſtitutionum normam attente diſponat, thuriferarios, Acolythos, ceteroſque Miniſtros de eorum Officiis praecedenter inſtruat, ne, propter eorum imperitiam, confuſio, aut perturbatio in agendis oriatur.

XIV.

XIV. Quodcumque Capitulum Archivium habeat, in quo Scripturae ad Capitulum, & Ecclesiam pertinentes serventur, illiusque custodia alicui ex Canonicis, qui & Secretarius esse potest, demandetur; quumque Archivium Capituli hujus Nostrae Cathedralis aliquo modo dispersum sentiamus, quantocius in integrum restitui cupimus, idque moderno Secretario commendamus, ne deinceps scripturarum subreptio, aut jactura deploretur; ipseque Secretarius Schedulas Capituli convocationem significantes scribat, atque conclusiones; nec non Epistolas, Capitulo demandante, extendat, datasque ad illud, recipiat, atque in tabulario conservet; fiat pariter per ipsum Secretarium index, seu nota omnium Scripturarum, scilicet inventariorum bonorum stabilium, & mobilium, Instrumentorum, Codicum computorum, Decretorum Sanctę Visitationis, sententiarum, Indulgentiarum, memoriae Consecrationis, vel dedicationis Ecclesiae, statutorum Capituli, et similium, quae in dictis Archiviis conservari debent; et hujusmodi index etiam in dicto tabulario reponatur. Nec ulli liceat, aut permittatur praefatas Scripturas perquirere absque Custodis praesentia, nec ullis tradantur sub poenis arbitrio Nostro infligendis.

VI. Denique cum quis de Capitulo infirmatur ad mutuam ostendendam caritatem, quae inter Fratres potissimum haberi debet, qui erit in Choro dignior, ut pro illius incolumitate preces ad Deum fiant, tam in Missae Sacrificiis, quam in Choro, & praecipue Lauretanae canentur Litaniae, praescribat; tum Capitulares omnes bini, vel terni successive aegrotantem Conlegam visitatum adeant, atque consolentur, cui si quid deficiat per Procuratorem ex proventibus ei debitis suppeditetur, quumque infirmitas gravior fiat aliquis ex Amicis, vel Confessarius illum, qua par est, caritate de suscipiendis Sacramentis admoneat; indeque morti proximo, virtutibus, & pietate pollentiores magis assidue adsint, ut eo momento, ex quo pendet aeternitas, aeternae

R Ami-

Amici, & Conlegae saluti consulant solertissime, ac quoad funera serventur Constitutiones Capitulares.

CAP. III.

De Parcecis.

QUum Parochi sint proximi, & immediati Animarum Pastores sub Episcopo, & Rectorum integritas (a) salus sit subditorum, ita iidem mores, actusque suos componant necesse est, ut sese omnibus exhibeant exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate, in gravitate. Curent itaque, ut quae sparsim de Officio, & obligatione Parochorum, & praesertim de vita, & honestate Clericorum in hac Synodo tradita sunt ad unguem observare, & super cura Animarum tota animi adplicatione invigilare, prout eos hortamur, & per viscera Misericordiae Dei Nostri obsecramus. Nimiam proinde suorum Parochianorum frequentiam, ac familiaritatem praecipuae feminarum vitent: in Templo frequenter, raro in Foro, in commessationibus, ludicrisque congressibus numquam versentur; nunquam enim diu gravitatem servabunt suam, si se subditorum coetibus frequenter immisceant: avaritiae non modo vitium, sed ipsam quoque suspicionem a se abesse studeant, ita ut de iis effatum D. Bernardi recte pronunciari possit (b); *Non pascunt, ut comedant, sed comedunt, ut pascant*. Habentes igitur victum, & vestitum, his contenti sint, & ipsorum divitiae, ac thesaurus lucra sint Animarum, & quoad emolumenta omnia id tantum Parochi exigant, quod in taxa Innocentiana definitum reperitur, & pariter hoc cum charitate, & absque nimia severitate.

II. Curent insuper, ut oves sibi concreditas ab invisibi-

(a) *S. Gregor. in Pastor.*
(b) *S. Bern. in Evang.* Ecce nos, &c.

bilium hoſtium cuſtodiant incurſibus in ſuis Parochiis diu, noctuque habitare, qui praeſto ſint Parochianorum neceſſitatibus occurrere, atque infirmos inviſere, & pauperes, aliaſque miſerabiles perſonas verbo, & opere in Domino adjuvari valeant; ſtudeantque odia, rixaſque componere, & perniciosa vitia cujuſvis penitus explantare; quod ſi aliquando aut vires, aut animus eis deficiat, de omnibus Nos certiores reddant, ut de opportunis remediis providere poſſimus; quumque pro commiſſo ſibi Grege ſpoponderint (*a*) feſtinent, diſcurrent, non dent ſomnum oculis ſuis, neque dormitant palpebrae eorum; ſecus enim tot occident, quod ad mortem ire quotidie tepidi, & tacentes videbunt, & morti, cui non contradicunt, ſe adjungent.

III. Praeterea quum in Populo iidem ſint conſtituti rerum Divinarum Magiſtri, Populum ipſum verbo Dei diligenter erudiant, quumque ad hoc plurimum conferat ſacra lectio, habeant propterea, ac perſaepe legant Sacram Scripturam, Concilium Tridentinum, Catechiſmum, Rituale Romanum, & opera aliquorum Sacrorum magis probatorum Doctorum de Theologia Morali tractantium, nec non auctorem aliquem de vitis Sanctorum tractantem, & quidquid in hac Synodo de Doctrina Chriſtiana tradenda, de verbi Dei praedicatione, de Indulgentiarum, jejuniorum, feſtorumque dierum intra hebdomadam occurrentium denunciatione ſtatuitur, fideliter exequantur, ac ſuper omnia muneris ſui meminerint pro commiſſi ſibi Populi ſalute Deo preces effundere, & placabiles hoſtias offerre, juxta illud Spiritus Sancti dictum: *Immola pro peccato tuo, offer Holocauſtum, & deprecare pro te, & pro Populo*: Prout ipſi tenentur ſaltem Dominicis, & diebus omnibus Feſtis de praecepto, juxta Sacri Concili Tridentini (*b*), Sacrae Congregationis Decreta,

(c) *S. Gregor. in Hom.* 11. *ſuper Ezech. Can.* Epheſiis *diſt.* 43. *Can. Conſentine diſt.* 83.

(a) *Conc. Trid. Seſſ.* 23. *cap.* 1. *de Reform.*, *Sacra Cong. in Hidrunt* 13. *fol.* 1639. *Et in Peruſina* 13. *Junii* 1649., *&* *in Lucana* 10. *Mai* 1681.

nec non nuperrimarum Bullarum felicis mem. Papae Benedicti XIV. ſtatutum.

IV. Habeat quiſque Paroechus Parochianos Codices nimirum baptizatorum, Confirmatorum, matrimonio junctorum, mortuorum, & ſtatus Animarum, in quibus reſpective deſcribantur baptizati, confirmati, mortui, matrimonio juncti, & ſeries Animarum per familias diſtincta, & hujus modi deſcriptio quoad omnia fiat, ſervata forma Ritualis Romani, nec non habeat librum Sponſalium, & Codicem Edictorum, quae a Nobis emanata fuerunt, vel in poſterum emanabuntur ſub poena noſtro arbitrio infligenda pro qualibet praenarratorum omiſſione.

V. Et quia Animae ab hoc Saeculo diſceſſurae maximo indigent auxilio Parochi, quoniam decertare oportet in ultimo agone cum acerrimo infirmorum hoſte; ideo monemus in Domino Curatos omnes, ut abſque ſua, vel alterius probati Sacerdotis aſſiſtentia, ac ope, ne per momentum quidem eos deſerant, non ceſſantes eos fortiter, ſed ſuaviter hortari ad patientiam, ad intimum dolorem de peccatis commiſſis, ad fiduciam in Divina miſericordia reponendam, & ad Coeleſtis Patriae deſiderium concipiendum, quod ſi quis repertus fuerit negligens in hoc, graviter a Nobis, pro modo culpae, punietur.

VI. Aegrotantem Curatum vicinior Parochus ſtatim viſitet, eique Sacramenta miniſtret, ac illius Parochiae curam gerat, quouſque aliter per Nos, vel Vicarium Noſtrum Generalem fuerit proviſum, & quum morti proximum viderit, Sacerdotem, vel duos ſaltem teſtes convocet, quibus praeſentibus inventarium Scripturarum, & Sacrarum ſuppellectilium ad Eccleſiam Parochi decedentis quomodocumque pertinentium conficiat, quod deinde cum eiſdem ſcripturis, & ſuppellectilibus conſignet, cui Nos, vel Noſter Vicarius Generalis imperabimus ſub poenis arbitrio Noſtro infligendis: nec non interim Populum moneat, ne-

dum

dum, ut durante infirmate Parochi, humiliter a Domino incolumitatem ei, verum etiam poſt illius mortem ſibi bonum Paſtorem imploret: deinde Nos de ſecuto obitu Parochi certiores reddat, ut incunctanter Gregi, & Eccleſiae de Œconomo conſulamus.

VII. Sint deinde Parochi ſoliciti errantium Paſtores, ignorantium Doctores aſſidui, pauperum, ac miſerabilium Parentes, viduarum, ac pupillorum defenſores, maerentium, ac puſillorum conſolatores, omneſque paterne adjuvent, ac ſublevent conſilio, auxilio, ac etiam eleemoſynis, niſi de proprio ſuppetant, ex piis divitum largitionibus ſaltem comparatis, quaeque de hac re in Noſtra Epiſtola encyclica eiſdem data anno 1768. ipſis inſinuata ſunt, adamuſſim exequi ſtudeant, ac uno verbo ita omnibus omnia fiant, ut omnes Chriſto lucrifaciant.

C A P. VIII.

De Regularibus, & Monialibus.

I. QUum profecto non tantum ex Clericis Saecularibus recte inſtructis, ſed etiam, imo potiſſimum ex Regularibus, qui Mundi illecebris, & inquinamentis poſthabitis, ſtrictiorem vitae formam ducentes ſub ſuavi Religionis jugo Divinis obſequiis mancipantur, plurimum in Eccleſia Dei ſplendoris, & utilitatis accedat; hinc propterea, exactis iis, quae complectuntur ceterorum Eccleſiae Miniſtrorum officia, non abs re erit aliqua de Regularibus pertingere.

II. Regulares igitur, qui ad coeleſtia inhiantes a terrenis omnibus ſe abdicarunt, quae propriae vocationis ſunt, meditari debent, juxta regulare ipſorum inſtitutum, ac ſerio cogitare, quod quamtumvis ex Apoſtolicae Sedis benignitate exemti, reverentiam tamen, ac obſequium Ordina-

nario debent in priſtinae poteſtatis, ac ſuperioritatis recognitionem; ac propter habitualem, & in plerifque caſibus ad actum reducibilem Epiſcopi jurisdictionem; nam ex Sacro Concilio Tridentino praeſertim, aliiſque Apoſtolicis Conſtitutionibus, exemptione non obſtante, Dioeceſanus, vel tamquam Apoſtolicae Sedis jure delegatus, vel ejus antiquam, ac nativam reaſſumendo, poteſtatem in quibusdam caſibus (*a*) jurisdictionem retinet; ac Regularium Superior eſt, & Protector.

III. Ideo Regulares ipſos omnes in Domino enixe admonemus, atque hortamur, ut ante omnia ad ejus regulae formam, quam profitentur, ita vitam inſtituant, moreſque componant, ut converſatione, ſermone, geſtibus, & actionibus cunctis Fidelibus exemplo ſint, verique Chriſti, & Inſtitutorum ſuorum imitatores ſint, unde ſoli per Civitatem, & Oppida ne vagentur; in Plateis, & Officinis otioſe non commorentur; a Saecularium domorum frequentia ultra neceſſitatem ſe abſtineant, mulieres nullam ob cauſſam intra Monaſteriorum ſepta ingredi permittant, memores excommunicationis Summo Pontifici reſervatae, tam contra intrantes, quam introducentes; exteros Sacerdotes apud ſe Sacrum facere non patiantur, niſi facultatem a Nobis ad hoc obtentam, praevia recognitione litterarum Dimiſſorialium proprii Ordinarii, ipſis oſtenderint, ſub poena ſuſpenſionis a Divinis.

IV. Sciant pariter ipſis benedictiones (*b*) puerperarum, agrorum, & frugum, aut laicalium domorum in Sabbato Sancto, ſeu nocivorum Animalium maledictiones ſine Noſtra, vel ſaltem Parochi permiſſione non licere, Stola, & ſuperpelliceo jurisdictionem denotantibus ſignanter adhibitis, extra clauſtra ad eas procedendo: Prout neque Sanctiſſimi Euchariſtiae Sacramenti publica in eorum Eccleſiis expoſitio ſine No-

(a) *Card. de Luca alleg. de juriſd. diſt.* 35. *de Reg. diſc.* 1. *Barb. de poteſt. Epiſ. Allegat.* 105.

(b) *Sacr. Cong. conc. in Antuerp.* 18. *Nov.* 1662. *S. C. Rit. in Urbis, & Orbis Iurium Parochial.* 10. *Decemb.* 1703.

Noſtra, vel Vicarii Generalis Noſtri licentia, nonniſi publica cauſſa concedenda; idemque (*a*) Sacramentum Saecularibus ipſo die Paſcatis Fidelibus adminiſtrare, eorum privilegiis pro hac die non ſuffragantibus; aliis etiam Paſcalibus diebus extra propriam Parochiam ſuſcipientes Paſchali præcepto non ſatisfacient. Et ex Sacri Concilii Tridentini (*b*) Sanctionibus nemini ex Regularibus extra Clauſtra docendi munus ſuſcipere fas eſt abſque Noſtra facultate, ſervatis ſervandis, impertienda. Inſuper neque in propriis Eccleſiis (*c*) concionari ſine petita a Nobis benedictione, aut Nobis contradicentibus, neque in alienis, non obtenta a Nobis licentia, & benedictione; nullusque Regularium Confeſſiones audire valeat quorumcumque Saecularium etiam Sacerdotum, juxta Sacri Concilii Tridentini Decretum, niſi a Nobis habita approbatione, & tunc neque a caſibus reſervatis, nec a cenſuris Eccleſiaſticis a jure non conceſſis, vel ex privilegio; Quinimmo ſciant Regulares quomodocumque exempti tam Ordinarii, quam Extraordinarii ad Confeſſiones monialium etiam Regularibus ſubjectarum audiendas nullatenus admitti poſſe, niſi prius a Nobis idonei judicentur, & approbationem, quae gratis conceditur, obtineant, ut ex Conſtitutione Gregorii XV. incipiente *Inſcrutabili*: Quod ſi quis in unoquoque ex praemiſſis defecerit poenas juxta Apoſtolicas Sanctiones non effugiet.

V. Sanctimoniales etiamſi Regularibus ſubjectas, ipſis omnibus alloqui ſub peccati mortalis reatu, aliiſque poenis, eſt interdictum; tametſi per breve tempus id fieret cum ſola Abbatiſſa, concionis, confeſſionis, aut celebrationis Miſſae occaſione, aut alia rationabili etiam de cauſſa, titulo, vel colore, Sacrarum (*d*) Congregationum Epiſcoporum, & Regu-

(a) *S.C.Conc.* 21. *Maji* 1627., *&* *in Indiarum* 18. *Martii* 1634.
(b) *Conc. Trid. ſeſſ.* 5. *cap.* 1. §. Monaſterii.
(c) *Clemens* X. *conſt.* 10. *incipiente* Superna 11. *Kal. Junii* 1670. *Greg. XV. conſt.* inſcrutabili, *&c.*
(d) *Ex Decr. gener. S. Cong. Conc. juſſu Urbani VIII.* XIII. *Kal. Dec.* 1623. *Eadem S. C. adprob. Clemens IX.* 11. *Maji* 1669. *Et eadem S. C.* 21. *Maji* 1678.

gularium, & Concilii Decretis ita praecipientibus, exceptis tantum Consanguineis in primo, & secundo gradu, ad quas accedere extra Adventum, Quadragesimam, Feriam Sextam, Sabbatum, & Festa de praecepto quater in anno, & tunc conditionibus ab iisdem Sanctionibus praescriptis, a Nobis, seu Generali Vicario Nostro permitti poterit.

VI. Indulgentias etiam ipsis concessas, novas Reliquias, vel nova miracula Regulares non publicent, nec Populorum concursum sub miraculorum specie permittant, licentia prius a Nobis non obtenta, & ab exorcizandi officio, nisi praevia Nostra licentia, prorsus abstineant, sub poenis ad Nostrum arbitrium. Tenentur tamen Festa in Synodalibus constitutionibus indicta, & Censuras. & Interdicta a Nobis publicata observare, & ad Processiones generales de jure, vel consuetudine, vel ob aliquam gravem caussam a Nobis indictas accedere omnino sub poena in Nostris particularibus Edictis imponenda. Quoad vero parva Monasteria, quorum unum extat in hac Dioecesi sub titulo Santae Mariae ad Castra PP. Praedicorum in Territorio Plagiani servetur adunquem constitutio felicis record. Innocentii XI. idibus Octobris 1652. incipiens *Instaurandae* cum ejusdem declarationibus postea emanatis ab Alexandro VII..

VII. Ceterum Regulares omnes quotquot in hac Nostra Dioecesi commorantur hortamur in Domino, & obsecramus, ut memores sint (*a*) (verbis Benedicti XIV. utimur) quo loco Spiritus Sanctus posuerit Episcopos regere Ecclesiam Dei; quod ipsis a Sacrosancta Oecumenica Lateranensi Synodo sub Leone X. habita inculcatum fuit per haec verba (*b*): *Eosdem insuper Fratres in virtute Sanctae Obedientiae monemus, ut eosdem Episcopos loco Sanctorum Apostolorum subrogatos, pro debita, & Nostra, & Apostolicae Sedis reverentia, congruo honore, & convenienti observantia venerentur*

(a) *In Const.* Impositi *edita* III. *Kal. Martii* 1747.
(b) *Const.* 26. *Leo*: X.: dum intra §. 24.

rentur. Nos equidem, juxta ipsius Lateranensis monita eosdem Religiosos viros benevolo prosequentes affectu, charitative tractabimus, benigne fovebimus, tamquam in Agro Dominico cooperatores, Nostrorumque laborum participes, prompta benignitate recipiemus, eorumque jura omni cum charitate custodiemus, ac tuebimur. Quum enim una sit Regularium, & Saecularium, uti habemus in Clementina unica de excess. Praelatorum: *Praelatorum, & Subditorum, exemtorum, & non exemtorum universalis Ecclesia, extra quam nullus omnino salvatur, quorum omnium unus est Dominus, una Fides, & unum Baptisma, decet, ut omnes, qui ejusdem sunt Corporis, unius etiam sint voluntatis*: Ideoque soliciti ipsi sint in omnibus Nobiscum spiritus unitatem, & sincerae dilectionis servare concordiam.

VIII. Ad Sanctimoniales autem Christi Sponsas praedilectas nunc devenientes, illas hortamur, ut satagere non praetermittant, exacta substantialium votorum custodia regularum suarum sedula observantia, & ardenti perfectionis adipiscendae desiderio, lampades suas instruere, ne ipsis, veniente Sponso a nuptiali thalamo cum fatuis Virginibus ejici contingat. Cum suis vero contubernalibus ita versentur, ut, quae bona in iis videant exempla virtutum, imitari, quae autem occurrant a recto virtutis tramite devia, omni ope vitare, ac fugere studeant.

IX. Quum vero sub horti conclusi, & fontis signati specie non semel in Sacris Literis *(a)* Monasteria Virginum designari reperiamus; omnis proinde cura a Nobis adhibenda videtur, ut earum clausura religiosissime servetur; nam *(b)* ejus custodia sub interminatione Divini judicii, & maledictionis aeternae Nobis commendatur; propterea sub poena Excommunicationis ipso facto incurrendae, summoque Pontifici re-

S ser-

(a) *Cantic. cap.* 5. *v.* 1.
(b) *Conc. Arelaten.* 4. *Can.* 7., *&* *Cap.* Periculoso *de statu Regul. in* 6. *Conc. Trid. sess.* 25. *cap.* 5. *de Regul.*

ſervatae, diſtricte praecipimus, ne quis cujuſcumque ſit generis, conditionis, ſexus, & aetatis ſine Noſtra licentia in ſcriptis, & nonniſi in caſibus neceſſariis concedenda, intra Monaſterii Septa pedem audeat inferre; nullique ex Monialibus poſt profeſſionem liceat etiam ad modicum tempus extra Clauſtra pedem efferre, niſi in caſibus a jure permiſſis, & ſervatis ſervandis, quibus Cenſuris, aliiſque arbitrio Noſtro poenis obnoxios eſſe ſciant, tam qui Moniales ſacrilego auſu egredientes excipient, quam Moniales, quae perſonas ſine debita licentia ingredientes in Monaſterium admittent, etiamſi pueri, vel puellae ſint ante ſeptennium, aut iis aditum, vel exitum reſpective indulgeant, aut conſulant, aut permittant *(a)*. Excipiuntur tamen illi, qui ob neceſſariam Monaſterio operam, & induſtriam introeundi a Nobis, vel a Vicario Noſtro Generali licentiam in ſcriptis, ſingulis ſex menſibus renovandam, vel qualibet vice, impetraverit; Confeſſario quoque, vel Cappellano cauſſa adminiſtrandi Sacramenta graviter aegrotis in Monaſterio degentibus, illud ingredi liceat, ſervatis de jure ſervandis, & dummodo ſuperpelliceum, & ſtolam deferat.

X. Quumque etiam crebrae adlocutiones ſive Saecularium, ſive Regularium cum Monialibus perfectae Clauſurae quodammodo adverſentur, cujus praecipuus ſcopus eſt, Moniales ab hominum conſortio ſegregare, ut liberius orationi vacent, Deoque unice intendant animum; idcirco, ne a recto vivendi inſtituto, quod ſacrae Virgines ſemel ſuſceperunt, a quolibet retrahantur, decernimus, quod nullus virorum cum virgine Deo Sacra, quae ſibi primo, aut ſecundo conſaguinitatis, aut ſaltem primo affinitatis gradu non conjungatur, nec etiam cum Novitia, aut Converſa, aut Educanda alloqui praeſumat abſque Noſtra, aut Vicarii Noſtri Generalis licentia, etiam.

(a) *Conc. Trid. loco cit. Sacra Congr. Epiſc. in Cremon.* 12. *Febr.* 1585., & *in Neap.* 22. *Martii* 1580. *Inn.* XI. *in decr. pro Monial. Urbis* 19. *Novem.* 1675. *Conf. ab Innoc.* XII. 10. *Martii* 1692.

etiamsi agatur de Monialibus degentibus in Monasterio (a) Regularibus subjecto, prout est illud Majori sistens, sub poena excommunicationis majoris *latae sententiae* Nobis reservatae, aliisque poenis arbitrio Nostro quoad Clericos, & Regulares pro modo eorum culpae, & quoad contumaces Laicos Piissimi, & Augustissimi Regis, & Domini Nostri brachium ad conterendam eorum audaciam implorabimus; qui vero hujusmodi licentias obtinebunt, eas Praefectae Monasterii ostendere teneantur, ut ni secus ei videbitur, Moniali facultatem ad crates veniendi, adhibita omnino Auscultatrice, concedere possit; nunquam tamen in iis cratibus Moniales colloquantur, quae Ecclesiae respondent, multoque minus in fenestella, in qua Sanctissimo Eucharistiae Sacramento reficiuntur; insuper se abstineant ab omni otioso colloquio, de iis, quae ad domesticam Monasterii disciplinam pertinent, ac potissimum de Monialium defectibus, et erratis; Saecularium mundana negotia, vanasque pompas curiosius non investigent: religiosamque demum in loquendo moderationem servent: hoc vero Decreto quoad accessum, & adloquutionem cum Monialibus prohibere non intendimus mulieribus, ne id agant, nisi sint malae conditionis, & famae, & pueris annos decem non excedentibus; nec illis, qui victualia, aut alia necessaria pro Monialibus, aliisque in Monasterio degentibus, deferunt ad rotam: Clausurae vero janua pro educendis, vel introducendis iis, quae per rotam educi, vel introduci possunt, minime aperiatur, nisi urgente necessitate, nec ante Solis ortum, nec post ejus occasum; nullatenus tamen pro colloquendo: nisi Nostra accedente licentia raro, et cum caussa concedenda; quibus omnibus, et Praefecta Monasterii, et Confessarius magno studio invigilare non desinant.

XI. Sacerdotes quicumque in Ecclesiis Monialium Missam

(a) *Urbanus VII. in rescr. ad Episc. Belluac. die 17. Junii 1650. lib. 4. Decret. pag. 300., tum Episc. Camar. 10. Decemb. 1633. &c.*

ſam celebrare abſque licentia Noſtra, vel Vicarii noſtri Generalis obtenta, nec in eadem Eccleſia etiam proprius Sanctimonialium Confeſſarius Confeſſiones aliorum Fidelium audire praeſumat ſub poena ducatorum ſex piis uſibus adplicanda, et in ſubſidium ſuſpenſionis a Divinis.

XII. Et ne Virgines Deo dicatae a rerum coeleſtium ſtudio arceantur, procul abſint a Monaſterii ſeptis ludus, clamores, ſpectacula, cantus praeſertim inhoneſti, vel nocturni, et choreae, quod ſi contrarium quicumque Clericus, vel Eccleſiaſtica perſona attentare praeſumſerit, et prope Monaſteria cantilenas fecerit, poena ſevera pro modo majoris, vel minoris culpae, ac contumaciae mulctabitur; Laici vero contravenientes, praeter omnipotentis Dei indignationem, implorata ope Sereniſſimi, et Auguſtiſſimi Noſtri Regis, poenam condignam non effugient.

XIII. Quum tempus eligendae Praefectae advenerit, per Menſem, antequam Superioriſſa ſuum expleat officium, Nos (a) de proxima electione facienda certiores faciat, ut adveniente electionis die, ad Religioſarum veniamus Capitulum. In ejuſmodi vero electione nullae a Monialibus pro captandis ſuffragiis induſtriae adhibeantur, et ea electa cenſeatur, in quam major pars ſuffragiorum conſenſerit; eaque eligatur, quae non minor annis quadraginta ſit, quaeque octo annis poſt emiſſam profeſſionem laudabiliter vixerit; quod ſi iis qualitatibus praedita in Monaſterio non reperiatur, ex iis, quae in eodem Monaſterio annum aetatis trigeſimum exceſſerint, et quinque ſaltem annis poſt profeſſionem recte vixerit, Nobis conſentientibus, eligatur, et quae Superioriſſae munus geſſerit, eligi iterum nequit, niſi poſt triennium ab hujuſmodi officio vacaverit, aut accedat facultas S. C. Epiſcoporum, et Regularium pro confirmatione.

XIV. Nulla ad habitum, et ſucceſſive ad profeſſionem admit-

(a) *Gregorius* XIII. *in Conſt. Expoſcit debitum* 4. *Jan.* 1582.

admittatur, quae dummodo sit choralis, legere, scribere, et Divinum Officium recitare nesciat, Saecularibus Sponsalibus, et Corporis, aut animi defectibus non sit obnoxia, & praevia diligenti exploratione per Nos, Vicarium Nostrum, vel alium Deputatum, juxta (a) Sacri Concilii Tridentini statutum de earum libera religiosae vitae profitendae voluntate plene constet, et nisi expleta aetate annorum quindecim pro susceptione habitus, et annorum sexdecim pro professione emittenda, et integra, et pecunia numerata, seu in Cedulis Banchi vere, et realiter deposita dote per publicum Instrumentum; et tum habitum suscipiendae, tum profitendae, sciant ad id non esse admissuras, nisi peractis ab eis Exercitiis Spiritualibus per decem dies continuos, juxta mandatum fel. record. Innocentii XI.

XV. Novitiarum receptio, et deinde professio in peculiari libro bene compacto adnotentur cum subscriptione Novitiae, aut Professae, Superiorissae, et duarum Monialium testium loco adhibitarum; maneant deinde una cum earum Magistra in habitatione destinata, et a Monialibus separata.

XVI. Educandae non recipiantur, nisi adunquem servatis conditionibus a Sacra Congregatione praescriptis in solitis licentiis impressis. quae tamen sine alia peculiari licentia pro minoribus septemnio, vel viginti quinque annorum aetate majoribus, aut quae in eodem, seu diverso Monasterio alia vice permanserint non suffragentur; in loco destinato cum peculiari Magistra instruantur, modesto vestitu incedant, Clausurae Leges exacte servare teneantur, et sub poena Excommunicationis, cum aliqua Moniali in eodem lecto dormire ne audeant.

XVII. Moniales omnes singulis quibusque annis saltem semel Sacro Quadragesimali tempore exercitiis Spiritualibus vacare teneantur, januis interea, rotisque obseratis, ut libe-

(a) *Trid. Sess. 25. cap. 17. de Reg.*

berius Deo soli vacare possint, prout singulis quoque diebus quoadusque in Choro Canonicae Horae tum Matutinae, tum Vespertinae recitentur, cunctisque insuper Quadragesimae, ac Adventus diebus fieri jubemus, idque, ut fideliter observetur, Superiorissae, vel Confessariis pro tempore commendatum volumus; quique praeterea curent, ut non solum quotidie Moniales sacrosancto Missae Sacrificio adsistant, verum etiam singulis Dominicis diebus, festisque aliis solemnibus Sacram Eucharistiam sumant, praemissa Sacramentali Confessione, & in Choro consuetis horis Divina munia distincte, pacate, devoteque recitent, easque in Domino hortamur, ut semper benedictio praecedat mensam, silentium, & Sacra lectio comitetur, gratiarum actio subsequatur, utque mensae conveniant omnes. Ter quotannis eis extraordinarium parati sumus concedere Confessarium, qui quintodecimo elapso die abeat; & Ordinarius triennio absoluto incunctanter abscedat.

XVIII. Procurator cujuslibet Monasterii singulis trienniis, nisi secus Archiepiscopo visum fuerit, constituatur, qui Monasterii bonorum curam habeat, ejusque proventuum exactionem faciat, eique constitutum solvatur stipendium, praestita per ipsum cautione de fideli administratione, & de rationibus Nobis in fine cujuslibet anni, etiam quoad Monasterium Sancte Mariae Pietatis Majoris, Regularibus S.Francisci de Observantia subjectum, juxta Constitutionem Gregorii XV. incipientem *Inscrutabili*: Ipse autem Procurator nova opera, praesertim ad clausuram pertinentia, Nobis inconsultis, penitus non adoriatur.

XIX. De cetero ea omnia, quae in Nostris Visitationibus decreta fuerunt, exacte servari mandamus; et ut hae Synodales Nostrae Constitutiones Monialibus cujuscumque Monasterii hujus Dioecesis innotescant, eas in vernaculam linguam traduci jubebimus, nostraque subscriptione firmatas cuilibet Superiorissae trademus, ut ad mensam quotannis distincte legantur, & fideliter exequantur. CA-

C A P. V.

De Seminario.

I. SAne quum adolescentium aetas (a), nisi recte instituatur, prona sit ad Mundi voluptates sequendas, et nisi a teneris annis ad pietatem, et religionem informetur, antequam vitiorum habitus totos homines possideat, nunquam perfecte, ac sine maximo, et singulari propemodum Dei Omnipotentis auxilio in Ecclesiastica Disciplina sit perseveratura; hinc a Sacro Concilii Tridentini Senatu pro Collegiorum electione in qualibet Dioecesi Sancta exiit Sanctio, ut filii in florescente aetate summa educantur diligentia, ac probis moribus ad Christianam Religionem, pietatem, litterarum scientiam informentur, quumque jam Praedecessores Nostri tantorum Patrum vestigia sectantes Seminarium in hac Metropolitana Ecclesia instituissent, illudque Sanctissimis Legibus communivissent, quae deinde ad normam illarum illustris Atellarum Seminarii renovatae fuerunt, easdem hic pro inviolabili observantia confirmamus, & legi mandamus in ejusdem Seminarii mensa semel quolibet mense.

II. In Seminario non recipientur in posterum adolescentuli, qui decimum quintum annum excesserint, vel qui saltem decimum non attigerint, legitime procreati non sint, legere, et scribere competenter non noverint, eorumque indoles, ac mores spem non adferant Ecclesiasticis Ordinibus, & Ministeriis perpetuo vacandi; & qui pauperes pro alumnis gratis excipientur de sibi praestitis alimentis Seminarium reintegrandi, quatenus in illo non perseveraverint, & ad Sacros Ordines non adscenderint, legitime in Nostra Archiepiscopali Curia non cavebunt, nec non de eidem Seminario inserviendo gratis per aliquot annos, postquam ad Sacrum Presbyteratus Ordinem pervenerint.

III.

(a) *Conc. Trid. sess.* 23. *cap.* 18. *de Reform.*

III. Omnes, & ſingulos, tametſi cupiamus tamdiu in Seminario permanere, quamdiu ſtudia compleverint; nihilominus perpenſis cujuſque ingenio, profectu, & moribus feratur judicium; quos experientia rudiores, indociles, ineptos oſtenderit, ne locum fruſtra occupent, dimitti vel invitos volumus. Immorigeri ejiciantur continuo, & ab Ordinibus omnino excludantur; diſputationes propterea mutuas ſemel in menſe praeſcribimus, quibus intereſſe cupimus, ut ſagacioribus praemia, rudioribus ludibria pro mercede decernantur.

IV. Praeſcriptis diebus in Cathedrali Templo Choro, aliiſque Sacris functionibus interſint Angelicam praeſeferentes modeſtiam, Divinaſque laudes compoſitis vocibus rite, graviterque modulantes, ac proinde Gregoriano cantui ſuis temporibus ſtrenuam dent operam, et nemo ab eo addiſcendo ſe ſubtrahat. Sacros Ritus, & Coeremonias calleant; quamobrem ſaltem ſemel in hebdomada per dimidiam horae partem Sacros ritus a Rectore, vel ab aliquo coeremoniarum Cathedralis Magiſtro edoceantur.

V. Licet Sacra Congregatio Concilii alumnos ad proprios lares autumnalibus vacationibus reverti non adprobet, ne a coepta profectus ſemita diſtrahi contingat, ipſa tamen non reprobante animi relaxandi, valetudiniſque confirmandae gratia, eo divertere, per menſem tantum Octobris eiſdem fas ſit, vitae ratione non immutata, pietatis operibus, Sacramentorum frequentiae, Parochialis Eccleſiae ſervitio feſtis diebus incumbere, ſuorum Ordinum functiones exercere, doctrinae Chriſtianae edocendae aſſiſtere volumus, Clericali habitu, & tonſura numquam dimiſſis. Ad Seminarium deinde redeuntes immediate poſt commemorationem Fidelium Defunctorum, nec ultra; de his omnibus adimpletis Parochi teſtimoniales litteras ſecum deferant, alias non admittentur.

VI. Denique, quod ad nos attinet pro tam pii, & neceſſarii operis progreſſu nihil intentatum relinquemus, quod

ad

ad temporale, & ſpirituale regimen illius melius conferre viſum fuerit, quatuor Deputatorum praeſentia, & conſilio adhibitis; quorum duo per Nos, tertius per Capitulum, & quartus per Clerum jam reperiuntur electi, vel in poſterum eligentur, ad praeſcriptum Sacri Concilii Tridentini (a); Seminarii vero Noſtri alumnos dilectiſſimos, qui nunc ſunt, & qui poſtmodum erunt, precibus, hortationibus, & imperio urgemus ad operam ſuam omnem in Eccleſiaſticorum morum, atque ſcientiarum adquiſitione collocandam, quo videlicet, quum opus erit in hac Domini vinea Nobis concredita excolenda eorumdem miniſterio uti valeamus. Quid enim proderit in domo Dei adoleſcentiam ſuam traduxiſſe, niſi illapſus fuerit ſuper eos Spiritus Domini, & aetate profecerint gratia, & Sapientia apud Deum, & apud homines? *Non Hieroſolymis fuiſſe, ſed Hieroſolymis benevixiſſe laudandum eſt*. Fatemur equidem aliquas difficultates ab eis ſuperandas, ut veterem hominem exuentes, novum in Chriſto induant, depulſiſque ignorantiae tenebris in penitiores ſcientiarum receſſus admittantur: verum ut bono ſint animo, nullaque difficultate, aut labore deterreantur, in mentem ſibi revocent, attenteque meditentur illud Apoſtoli (b): *Omnis diſciplina in praeſenti quidem videtur non eſſe gaudii, ſed moeroris: poſtea autem fructum pacatiſſimum exercitatis per eam reddet juſtitiae*. Propter quod remiſſas manus, et ſoluta genua erigite.

CAP. VI.

De Collatione Caſuum Conſcientiae, & Sacrorum Rituum.

Quum extra omnem dubii aleam ſit, ex inſcitia Cleri ignaram Populi conſcientiam creſcere, ita ut non immeri-

T

(a) *Seſſ. 23. cap. 18. de Reform.*
(b) *Ad Hebr. cap. 12. v. 11. & 12.*

merito D. Isidorus obstupens exararet (a) : *Si Presbyteri a Sapientia nominantur, miror cur insipientes constituantur, & quod mali compendium existit sua ignavia iniquos corrigere nesciunt* ; & S. Laurentius Justinianus lacrymando scriberet (b) : *nonne Ecclesiae quoddam est dedecus inscium videre Presbyterum, cui ubique congruit erudire Populum, & ad se confluentibus monita propinare salutis?* Hinc propterea omni Pastorali Nostra solicitudine in id potissimum animadvertere necesse habuimus ; ut Clerici omnes Nostrae Dioecesis in sortem Domini vocati habiliores efficiantur ad munera propria obeunda, ne redarguerentur a Deo (c) : *quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi*. Qui autem ignorat, teste Apostolo, nempe ea, quae scire tenetur, ignorabitur ; scilicet in die judicii dum dicetur : nescio vos : frequentes propterea Casuum Conscientiae, & Sacrorum rituum collationes indiximus. Nunc igitur inhaerentes tam Edicto alias super hoc a Nobis emanato, & Decretis in Sanctis Visitationibus editis, cum Constitutionibus Nostrorum Praedecessorum, & praesertim Angeli Pica in Synodo ab ipso celebrata anno 1639. praecipimus, & mandamus, ut in Nostra Cathedrali, & in Collegiatis Ecclesiis S. Mariae ad Mare Majoris, & S. Mariae Magdalenae Atrani, aliisque in locis Nostrae Dioecesis inferius adnotandis, Ecclesiastici omnes semel in hebdomada, vel saltem bis in mense statuta die, & hora conveniant, & per eos congregatio casuum Conscientiae, & Sacrorum Rituum peragatur una cum Exercitiis Spiritualibus a Nobis praescriptis in methodo eisdem in Sanctis Visitationibus relicta, & duo ad minus casus Moralis Theologiae examinentur, & Missalis, & Breviarii Rubricae explanentur.

II. Teneantur ad Conventum hujusmodi omnes, & singuli

(a) *S. Isid. de Offic. Eccles. l. 2.*
(b) *lib. 3. Sen. cap. 35.*
(c) *Oseae cap. 4. v. 6.*

guli Canonici, & Hebdomadarii Cathedralis, et Collegiatarum, Parochi, et Vicarii Curati, ac omnes ad audiendas Confessiones adprobati: itidem Clerici omnes, qui cum interesse neglexerint absque legitimo impedimento a Praefecto adprobando, si fuerint Parochi, Vicarii Curati, et Confessarii poena librarum duarum caerae albae elaboratae piis usibus adplicande amultentur; graviter tamen augenda pro modo culpae, si iterum, ac tertio continue defuerint. Sacerdotes vero quando ad vacantium Parochiarum, vel alterius beneficii, aut Dignitatis concursus accedant, sciant, se minus idoneos judicandos iis, qui testimoniales litteras adferent de hujusmodi Conventuum frequentatione, sicut Clericos ad superiores Ordines promoveri non permittemus, nisi exhibitis praefatis litteris. Verum confidimus non poenarum metu, sed virtutis amore ad tam pium, et laudabile exercitium omnes simul interfuturos.

Loca, in quibus habendi sunt hujusmodi Conventus; & ordo in iis servandus.

III. In Cathedrali Nostra Ecclesia convenient nedum Ecclesiastici omnes Urbani, verum etiam illi Casalium viciniorum Pugerulae, Pastinae, Lonae.

In Collegiata Ecclesia S. Mariae ad Mare Majoris cuncti Parochi, et Ecclesiastici loci ejusdem.

In Collegiata Ecclesia S. Mariae Magdalenae Atrani Ecclesiastici omnes ipsius loci.

In Congregatione Presbyterorum Tramonti convenient omnes Parochi, et Ecclesiastici cujuscumque ordinis praedicti loci.

In Congregatione Presbyterorum Terræ Conchae convenient Parochi, et Ecclesiastici omnes tam dictae Terrae, quam Casalium Vetticae minoris, et Tobuli.

In Congregatione Agerulen convenient Parochi, et Ecclesiastici loci ejusdem, et Casalis Furoris.

In Congregatione Plagiani convenient Parochi, et Ecclesiastici ipsius loci, et Vetticae Majoris.

In Ecclesia Parochiali Positani convenient Parochi, et Ecclesiastici praefati loci, et Montis Pertusii.

In Ecclesia Parochiali Citariae convenient Parochus, et Ecclesiastici ipsius loci, et Casalis Erchiae.

In peaedictis vero Conventibus semper primum habeat locum, eisque praesit prima Dignitas cujuscumque loci; verum deputentur in quolibet eorum Praefecti tam pro discutiendis Casibus Conscientiae, quam pro explanandis Sacris Ritibus, et Rubricis, iique quolibet anno eligantur ab ipsismet Sacerdotibus per secreta suffragia, eisque duo alii adsistentes, sive coadjutores addantur, ut deficiente uno, alius pro eo supplere possit; qui tamen semper a Nobis adprobandi sint. Primi igitur cujuscumque congregationis invigilare non desinant ut omnia quoad hoc a Nobis praescripta debitae executioni demandentur sub poena indignationis Nostrae, et aliis Nostro arbitrio.

C A P. VII.

De Funeribus, & Sepulturis.

I. SI Barbaris etiam Nationibus Naturalis ipsa suasit Religio defunctorum Cadaveribus statis caeremoniis justa persolvere, et extructis Sepulturis requiem parare, eo quidem magis Fidelibus Populis, quibus, fide docente, innotuit resurrectio mortuorum, id convenit, ut corpora Fidelium, quae Templa fuerunt Spiritus Sancti in magna Judicii die cum felicibus animabus vitae perennis participatione referventur.

II. Sepulturam igitur unusquisque sibi potest eligere in Ecclesia, sive loco Sacro in quo tumulandi jure gaudeat ex immemorabili Consuetudine, privilegio, vel Ordinarii licentia (a); caveant tamen Curati, vel quicumque Confessarii, vel

(a) *Cap. 1. cum liberam Cap. de uxore. & seq. de Sepult. Clem. fin. de pœnis cap. 1. de sepul. in 6.*

vel Sacerdotes, et alii Ecclesiastici cum juramento, aut voto infirmos inducere ad eligendam Sepulturam in eorum Ecclesiis, vel electam non mutare; nam irrita alioquin erit electio, et extorquens indictis a jure poenis subjacebit, verum petere tantum ab infirmis liceat eis, ut alicubi in genere eligant Sepulturam, si poenas supra expressas cupient evitare.

III. Quum vero talis legitima electio non fuerit facta, unusquisque sepeliatur in Sepulcro Majorum, scilicet, ubi Pater, vel Avus non casu, & ex accidenti, sed tanquam proprio sepulti sunt, si adsit, sin minus in Ecclesia Parochiali; in Ecclesiis autem Monialium sive interioribus, sive exterioribus sine licentia Sacrae Congregationis, & consensu Monialium sepeliri non permittitur *(b)*.

IV. Advenae, et peregrini non electa sepultura decedentes in Cathedrali Ecclesia, & respective in Majori Ecclesia locorum, nisi ob domicilii acquisitionem rationabili temporis mora contracti alteri Parochiali Ecclesiae jus sepeliendi fuerit adquisitum; idque observetur, etiamsi in Regularium Conventu decesserint, et ab eis etiam Sacramentis muniti, quod intellige in casu dumtaxat necessitatis, vel cum licentia proprii Parochi, alias poenas a jure latas, qui Sacramenta administraverit, non evadet.

V. Sepulturae omnino sint prout praescribuntur in Constitutione S. Pii V., quae incipit: *cum primum*, scilicet, ut sint ad formam tumbae profundae, et concameratae, et operculis lapideis bene clausae, ac longe ab Altaribus remotae, nimirum duobus saltem cubitis ab Altari, & uno a suppedaneis distent; si quae vero subtus Altaribus constructae reperiantur, infra duos Menses a praesentis Synodi publicatione decurrendos, removeantur; alias Altaria praedicta, et Sepulturae Interdicto subjicientur, donec sepulcra prae-

(b) *Cap. 1. de sepult. Cap. is qui eod. tit. in 6. Cong. Episc. pluries apud Petram ad Const. Ap. tom. 2.*

praedicta removeantur; Et in nulla Ecclesia sive Saecularium, sive Regularium fiant Sepulchra supra pavimentum eminentia.

VI. Laudabile, et honestum Christianae pietatis foret, si unaquaque in Ecclesia esset Sepulchrorum divisio, ut in uno Sacerdotes; in alio Laici masculi sexus, in alio feminae, et in alio demum parvuli, et virgines sepeliri possent Propterea mandamus, ut quisque Parochus in sua Ecclesia Parochiali tria saltem habeat Sepulchra, in quorum uno soli Ecclesiastici, in altero dumtaxat Laici, in tertio parvuli tantum, qui Sacro abluti Baptismate ante rationis usum decesserint, sepeliantur.

VII. Omnino in Exequiis, quae fiunt tum in asportandis ad Ecclesiam Cadaveribus defunctorum, tum in Ecclesiis pro illis sepeliendis serventur ritus, et Caeremoniae a Rituali Romano praescriptae, et Cadavera ante solis ortum, vel post occasum nullatenus Sepulchro committantur, nec semel humata exhumentur, vel alio transferantur, sine Nostra in Scriptis concedenda licentia. Caveant tamen Parochi, ne defunctorum Cadavera, non elapsis duodecim horis, quostquam animam exhalaverint, sepeliantur, ne ulla unquam de morte dubitatio relinquatur; sed quatenus mors subitaneo aliquo eventu contingat, expectent cursum viginti quatuor horarum.

VIII. Quia Domini est Terra, et plenitudo ejus; ideo pro Sepulturae jure intra, sive extra Ecclesiam quidquam a Rectoribus peti, aut exigi omnino prohibemus (a), ne aut venalis fortasse dicatur Ecclesia, aut Sacerdotes Dei de humanis videantur mortibus gratulari, et qui secus fecerint sciant, poenas in Sacris Canonibus constitutas se incursuros; quo vero ad exactiones funeralium servetur taxta solita a legitima consuetudine introducta, et adprobata, et nemo Parochorum praetextu non solutae pecuniae, aut quartae fu-

(a) *Cap.* questa est: *Cap.* postquam pretio: *Cap.* in Ecclesia 13. *quaest.* 2.

funeralis Sepulturam differre praesumat, alias condignas poenas luet; et quia scriptum est: *Mortuo ne deneges gratiam* (a). Pauperum et miserabilium personarum cadavera gratis sepeliantur.

IX. Nullus audeat e domo efferre cadavera tumulanda sine proprio Parocho juxta declarationem sacrae Congregationis 12. Januarii 1604., et ad funera ultra Parochum, qui ex officio interesse debet, illi tantum Sacerdotes accedant sive Saeculares, sive Regulares, qui de heredum defuncti voluntate fuerint vocati, ut, voluisse Sacram Congregationem, testatur Mancinus in praxi visitandi infirmos dubio 29.

C A P. VIII.

De Usuris, & Contractis illicitis.

Detestabile usurae vitium utriusque Testamenti pagina proscriptum tanquam Divino, humanoque Juri, & rerum naturae exosum quod velut cancer in pauperum bona, & quod execrabilius, in usurariorum animos serpit pro Nostri muneris cura reprimere cupientes mandamus, ut omnes Concionatores, Parochi, aliique, quibus animarum Cura subest, ut quam de Contractibus sanam Doctrinam callent, prout fert occasio, Populos doceant. Confessarii quoque omnes dilingenter ad se accedentes interrogent super negotiationibus, quibus forte implicantur, nec faciles se ad eorum artes adprobandas reddant, nisi exacto studio, ac peritis etiam consultis, eas legitimas, permissasque esse censeant, nec omnino usurarios absolvant, nisi facta reali restitutione usurarum perceptarum, vel detecto saltem firmo restituendi proposito.

II. Usura in mutui contractu regulariter committitur, lucrum exigendo ultra sortem mutuatae pecuniae, non inter

(a) *Eccles. 7. v. 27.*

terveniеntibus notiſſimis requiſitis Paulli de Caſtro (a): verum aliis quoque contractibus commiſceri poſſe, nulli dubium, quum in quolibet contractu conſiderari poſſit mutuum, ſaltem fictum, & palliatum; unde etiam in contractu emtionis, & venditionis cadere poteſt uſura, ſi in eo concurrat cum modicitate pretii, etiam pactum de retrovendendo; proindeque ſicuti Parochos, & Confeſſarios in Domino monemus, ut ſuper hujuſmodi re a probatis fontibus Doctrinam hauriant, quam ſuis ſubditis paterne exponant; ita pariter omnes quotquot ſunt in noſtra Dioeceſi Fideles hortamur, ut a quovis ſuſpecto contractuum, vel negotiationum genere ſe abſtineant, & in unoquoque contractu, vel negotio faciendo viros conſulant, qui hujuſmodi ſcientia, ac Divino timore ſit repleti, & cum eorum conſilio agant, nec ſibi eligant conſultores, qui eis placentia, ſed qui vera, & ſana loquantur, ſi ſeveriſſimas poenas contra tranſgreſſores a Divino Judice taxatas, evadere velint.

III. Ceterum haec, quae ſequuntur decreta lata ab Illuſtriſſimo Domino Angelo Pico in Synodo de anno 1639. confirmamus, & ſervari mandamus, nimirum.

Cambia ſicca, quae in noſtra Dioeceſi fieri audimus, nempe quae litterae ad deſtinatum locum vere non mittuntur, ſed in eodem, quo dantur, loco, pecunia ſolvitur, prohibentur, quum iniqua ſint; nec talia exercentibus jura ſuffragantur, tanquam frequentiora ſint, eoque magis quando dictae littere fiunt, ut in certis Nundinis ſolvantur, utroque conſcio, eum, qui accipit, illic neque pecuniae habere, neque fidem, neque alium Procuratorem, nec voluntatem illic ſolvendi recipiendique pecuniam uſque ad illud tempus eas campſor ſervat in arca, illiſque utitur hic, ubi pecuniam recipit, non autem in Nundinis, quo directe fuerunt litterae: nec approbamus ejuſmodi pactum, quo campſarium obligant, ut niſi ſtatu-

(a) *In leg.* 3. §. *fin. ff.* de eo quod certo loco.

ſtatuto tempore, & loco ſolverit, fiat recambium ad locum primi campſoris, vel recipiat eandem pecuniam ad cambia, & recambia, uſque dum ſolverit; nimis enim grave, injuſtumque exiſtimatur hujuſmodi onus, ſecluſa morali certitudine lucri ceſſantis.

Caveant ne quid lucri ob ſolam dilationem ſolutionis accipiant; vel ne carius, aut vilius juſto pretio quidquam vendatur, aut ematur, praeciſe propter expectatam, aut anticipatam ſolutionem; nec judicandum erit juſtum pretium, quo aliqui ex monopolio inito expreſſe, vel tacite inter ſe res vendunt notabiliter carius, quam venduntur in aliis locis ultra terminos juſti pretii, non ad libitum determinandi, ſed ex habita prudentis conſideratione ad labores, expenſas, incommodaque, quae ordinarie, non extraordinarie in tali negotiatione adveniunt.

Ne cui (quod ſatis dolendum eſt in hac miſera tempeſtate, & praecipue in noſtra Dioeceſi perperam ſervari ad noſtras aures pervenit) praeſentem pecuniam quaerenti, oleum, frumentum, lanam, goſſipium, & ſimilia carius pretio rigoroſo vendantur, ut ſtatim a venditore, per ſe, aut per interpoſitam perſonam vilius emantur, ii ſunt, quos dicebat Propheta: qui devorant pauperem in abſcondito. *Quinimmo uſurarii, ut dicit divus Chryſoſtomus, ſicut aſpides mordent, qui prius delectationem, ac ſomnum inferunt, denique mortem. Tollatur quoque abuſus ille a noſtra Dioeceſi, nimirum conducendi operarios ad quaevis opera certo quidem pretio, minori tamen, quam loci conſuetudo, & laboris ratio expoſcit, idque ob ſolam anticipatam mercedis ſolutionem; alius quoque tollatur abuſus eo magis deteſtabilis, quo palliatus magis, ſolvendi operarios non in pecunia, ſed in rebus comeſtibilibus, cum eas illis tribuant carius juſto pretio, quamvis anticipate non tradantur, non relinquendo libertati operariorum, an pecuniam, vel rem velint, ſed ita cum eis paciſcendo, ut rem in ſolutum capiant, cui pactioni co-*

V gun-

guntur infelices operarii assentiri ne fame pereant; nec se tutos omnino in conscientia credant operum conductores esse, eo quod ad rationem taxati in platea pretii talia solvant; tantam enim comestibilium quasi coacte acceptorum copiam, dum revendere coguntur operarii, ut de aliis necessariis sibi provideant, adeo crescit venditorum copia, decrescit emtorum, ut pretio a limitibus infimi longe dissito deplorandum in modum (ut in dies audimus) revendere cogantur; unde mercedem satis inaequalem operibus reddi dignoscitur.

Noverint omnes non eam tantum reperiri damnabilis monopolii speciem, qua plures in unum conveniunt de vendenda, re aliqua supra rigorosum pretium, vel de emenda vilius infimo; sed etiam pessimam, damnabilemque monopolii speciem, qua vi, minis, fraude, aut quomodolibet quis, injusta caussa, ne merces aliunde advehantur; neve ab aliis cum libertate vendantur.

C A P. IX.

De Foro Archiepiscopali.

I. QUoniam inter Pastoris munera illud praecipuum obtinet locum, lites in temporalium, & spiritualium bonorum perniciem invisibilium inimicorum versutia plerumque excitatas componendi, eas proinde, quas inter Fideles Nostrae imbecillitati concreditos excitari continget, ut Pastorali, quo obstringimur, muneri faciemus satis, pro posse, componere, & dirimire non desistemus; quas vero avertere non dabitur, qua fieri poterit celeritate, & diligentia Vicario Nostro Generali adjutricem operam suam Nobis praestante decidere, partiumque paci, ac quieti consulere satagemus; ac proptetrea praefato Nostro Vicario Generali injungimus, quod subterfugiis, cavillationibus, aliisque quibuscumque litigantium artibus explosis caussas omnes ad forum Nostrum Judiciale spe-

ſpectantes, quanta fieri poterit brevitate, re tamen bene diſcuſſa, definiat, & diebus ad jus dicendum deſtinatis audientiam publice praebeat.

II. Ut autem ab Archiepiſcopali Noſtra Curia omnis avaritiae ſuſpicio procul arceatur, decernimus, & mandamus, quod in ſpiritualibus cauſſis ſportulae juxta Innocentianam taxam exigantur; in reliquis vero, & in Beneficialibus, quae cum contradictore, vel cum Fiſco aguntur taxam Praedeceſſorum Noſtrorum hucuſque ſervatam, & Noſtra indulgentia moderatam, in poſterum inconcuſſe etiam ſervari volumus, quas proinde in loco patenti, & conſpicuo pro omnium indemnitate retineri mandamus; Vicariumque Noſtrum Generalem, ceteroſque Curiae Miniſtros in Domino hortamur, ut ab omni intemperata animi adfectione liberos, & alienos ſe demonſtrent, caveantque potiſſimum, ne mercenariorum more officia haec eccleſiaſtica exerceant, ſed ante oculos Dei honorem, progreſſioneſque ſpirituales ſubditorum perpetuo habeant.

III. In cauſſis mercedum, & miſerabilium perſonarum gratis, & ſine Judicii ſtrepitu agatur, niſi ſecus cauſſae circumſtantiae poſtulaverint, & ne pauperes, & miſerabiles perſonae indefenſae ſuo jure fraudenter, aut collitigantium potentia obprimantur, aderit ei Advocatus, & Procurator, qui eorum patrocinia gratis pro Deo aſſumere non detrectabunt.

IV. Cancellarius Archiepiſcopalis, qui probitate, ac peritia ſit aſſumendus, juratam obligationem emittere tenebitur in principio ſui officii de fideliter, ac diligenter exercendo, ſecreta cauſſarum non patefaciendo, taxas ſervando, nec quidquam ultra ipſas etiam a ſponte dantibus exigendo, librorum omnium, ac Scripturarum, quas inventario confecto, receperit, & deinde, exaratae fuerint, quandocumque rationem reddendo, neque originales proceſſus alicui accommodando ſine Noſtra, vel Vicarii Noſtri Generalis licentia.

V. Ut Archivium Archiepiſcopale perpetuo integre cuſtodiatur, mandamus intra annum redigi inventarium omnium, & quorumcumque proceſſuum tam Civilium, quam Criminalium, inſtrumentorum, & quarumque cauſſarum; nec non teneatur Cancellarius inventarium ſingulis annis conficere de omnibus Scripturis illo anno confectis, & Nobis exhibere, & deponantur in Archivio; hujuſmodi autem inventarium Scripturarum omnium ſit penes Nos, Noſtroſque Succeſſores, & ſede Archiepiſcopali vacante, ſerventur adamuſſim quae praeſcribuntur in Bulla fel. rec. Bened. XIV.

VI. De cetero Juriſperitos, & Cauſſidicos omnes, & ſingulos, qui in foro Eccleſiaſtico cauſſas patrocinantur, enixe in Domino hortamur, ut Reipublicae tranquillitati, miſerabilium indemnitati, propriaeque conſcientiae ſecuritati potiſſimum conſulentes, ſtudeant litium celeri expeditioni, eaſque non introducant, niſi noverint, partes fovere bonum Jus. Ab introductis, agnito malo jure, reſiliant, & in dubiis pro concordia conſulant. Caveant a pactis de quota litis, aliiſque Contractibus cum Clientibus a Jure reprobatis.

VII. Quoad dies juridicos, & feriatos conficiatur Tabella per Cancellarium dierum feriatorum hucuſque in Noſtra Curia ſervatorum, praeter illos de Eccleſiae praecepto ſervandos, & illam adfixam habeat in Cancellaria, ut omnibus innoteſcat, reſervato Nobis jure procedendi etiam feriatis diebus, in cauſſis quae Noſtro, vel Vicarii Noſtri Generalis arbitrio dilationem non patiuntur, ſed celere remedium expoſtulant.

C A P. X.

De Conſtitutionibus Synodalibus Servandis.

I. Conſtitutiones, Ordinationes, Statuta, atque Decreta, quae ad Fidelium Curae Noſtrae Paſtorali concre-

creditorum utilitatem ; & Ecclesiasticam in Clero disciplinam stabiliendam , hactenus in Synodalibus trinis sessionibus de Cleri consilio edita sunt , quae honesta , justa , & possibilia dignoscuntur , sacrisque Canonibus , Tridentino Concilio , & Apostolicis mandatis conformia , quaeque nihilominus Sedis Apostolicae Auctoritati , ac Judicio , humillime subjicimus tam in posterum exacte observari ab omnibus ad quos pertinet , mandamus , ut poenarum executioni locus non relinquatur .

II. Decreta pariter omnia , quae in Sanctis Visitationibus promulgavimus , ac Edicta a Nobis emanata , & in Appendice conscribenda sub poenis in ipsis contentis confirmamus , & in suo robore permanere declaramus , nisi his Synodalibus Constitutionibus adversentur .

III. Insuper facultatem Nobis reservamus corrigendi , declarandi , interpretandi , quatenus opus fuerit , has nostras Synodales Constitutiones ; necnon etiam super eisdem dispensandi , addendi , minuendi , ac derogandi prout juris , & aequitatis ratio , & temporum opportunitas suadebit .

IV. Denique ne confusio , seu perplexitas in agendis , ex praeteritis Synodalibus hujus Amalphitanae Ecclesiae Constitutionibus oriri in posterum possit , has praesentes Sanctiones tantum , & non alias attendendas esse volumus , & declaramus , nisi quatenus Synodalia , sive alia Decreta Praedecessorum Nostrorum in usum in praesenti Synodo revocantur , & noverint omnes sive ad Sacros ordines promovendi , sive ad audiendas Confessiones adprobandi , quod si in eorum examine hujusmodi nostrarum Sanctionum notitiam non habere reperti fuerint , nec ad ulteriores ordines promovebuntur , neque facultatem audiendi Confessiones respective consequentur .

DECRETUM.

De Synodi Conclusione.

